
# EXPEDITIO POLEMICO-POËTICA: SIVE CASTRUM IGNORANTIAE...

Jakob Balde




8
1-c
17
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
34 A
60
bliotheca
Coll. Rom.
t. Jesu

# EXPEDITIO
# Polemico-Poëtica.

# EXPEDITIO
# Polemico-Poëtica:

*SIVE*


CASTRUM IGNORANTIÆ
Bœotorum Arcadúmque Reginæ
à Poëtis
**Veteribus ac Novis**
obſeſſum, expugnatum, everſum.

*Referente*

IACOBO BALDE
Societatis IESU.


*Cum facultate Superiorum.*





*MONACHII,*
Typis IOANNIS WILHELMI SCHELL.
Sumptibus IOANNIS WAGNERI
Bibliopolæ.

*Anno M. DC. LXIIII.*



# JOSEPHO BERTRONIO FRANCISCI BERTRONII FILIO.



QUòd præſens Opuſculum compoſuerim, *Ioſephe chariſſime*, imputabis Patri tuo: quòd tibi inſcripſerim, ſpei Summæ, quam de te uterque concepimus. Ex nativo flore lacteum vividúmque nactus ingenium, adhuc adoleſcens, nedum juvenis, tantâ felicitate laxâſti in amœnitates Poëticas, quantam in viris vix vidimus. Poſt Philoſophicas Diſciplinas, ca-

paci animo abundanter hauſtas, redis ad manſuetiorum Muſarum limina, & ultrà tendis. occupaverunt illæ pectus tuum. nihil aliud cogitas, quàm volubile; cœlum, & verſus. Pellæus Iuvenis habuiſſe fertur Fortunam in poteſtate; tu Apollinem; primâ ætate laudem conſecutus, quam plerumque nec præceps aliorúm vita impetrat. Lyrica noſtra, eorúmque ſenſus & arcana, tam bene calles, quàm qui ſcripſit. Quin imò jam & paria canis. Perge pede, quo cœpiſti. nec te dimoveant animoſi ſpiritus Caroli Fratris, proficiſcentis ad bellum Turcicum. ille quidem ut auguramur & vovemus, merebitur ſub Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo, glorioſa ſtipendia; augebítque inſignia gentis ſuæ. Tu tamen, ſi me audis, perſta ſub ſignis Minervæ ſemel electis. Fratrem Bellona

lona amabit: te Pallas, haſtâ clypeóque non minùs formidabilis. Et ſanè neſcio, fortiori Marte pugnet, qui diros Othomannidas manu aggreditur; an qui Sapientiæ ſuperbos hoſtes, quos *Ignorantes* proprio vocabulo Docti vocant, ingenio debellare ſtudet. Specimen exquiſiti, ſi non etiam inauditi certaminis, præſens hæc ſcriptio exhibet. Refertur *Expugnatio Caſtri Ignorantiæ*, *Bœotorum Arcadúmq; Reginæ*: quod plurium ſeculorum continuatâ poſſeſſione firmaverat; uſque ad Franc. Petrarchæ tempora, etiã in Latio potentiſſima. Hic auſus fuit princeps, tandem aliquando vetulæ & capitali bonarum literarum hoſti, ſerium bellum indicere. Quem ſucceſſum iſta Expeditio Polemico-Poëtica habuerit, tametſi longioris ac juſtæ Hiſtoriæ filo contexi poterat, ſi prolixiùs nu-

gari in Utopia libuisset; quia tamen Genitor tuus moram non concessit, in epitomen conjeci. Extemporali compendio fave, & vale.



PRÆ-



# PRÆFATIO

## De usu collectorum Thematum: cur Auctor & numerosa excogitaverit; & ex omnibus unicum duntaxat, hoc loco, electum explicaverit.

RAPHAEL STIBIUS *vir politioribus literis excultissimus, perlecto solatio Podagricorum, quod proximè edidi, accesserat me Tridento huc profectus: inter colloquendum affirmabat,* probari sibi multísque alijs Argumentorum sive Lemmatum scribendorum aliquam supellectilem, *qualem* GUILIELMO PETMESSIO. *sub illius opusculi initium proposuissem. inde excitari posse ingenia Iuvenum Musis operantium, ut ad eorum normam industrij, similia excogitent; vel certè his ipsis occupen-*

*tur inventis; artémque suam æmuli, velut ad palum, exerceant. simul Auctor fuit, ut plura darem. Cùm annuissem, quamvis cunctantiùs; aliquot mensium intervallo, perfunctorius annotare cœpi, quæ animus secum attentior loquebatur: cùm videlicet otioso negotio occupatus, per blandas Mentis imagines (quas* Conceptus *vocamus) ex illabentium radiorum velut Heliconio rore, in negotiosum otium reciprocâ curiositate relabitur, & liquescit. prorsus ad eum modum, quo Sancti & illustres vaticiniis Viri, lumina divinitùs immissa in ephemerides referunt: ut eorum, majore cum voluptatis ac sperati fructûs gustu, recordentur: ut grati sint: ut ad mutationem morum, ínque gloriam Largitoris convertant. Audeo fateri: intra breve tempus, non contemnenda hujus farinæ seges collecta est. Quam in Catalogum, quasi in fasciculum collectam, cùm* FRANC. BERTRONIUS, *Viennam*

*pro-*

*profecturus, comite Carolo Filio, contemplatus esset: avidéque sigillatim evolvisset Problematum copiam; mirabatur primò; mox ad me virili ac sonorâ voce: tu enimverò integra horrea, messis Aoniæ plena, profusus institor videris aperire velle: quam nec centum scriptores, ad debitam trituram, flagellare & evolvere queant. in quem usum hæc paras? nisi fortè talia ostentas ad pompam? Tum ego. Ab inani splendore longè consilij mei ratio, optime* BERTRONI, *permitte mihi libertatem loquendi, quâ tu uteris: & intelliges propositi congruentis firmitatem. Vim judicandi acerrimam in* RAPHAELE STIBIO *ipsemet suspicere soles. hoc suasore, ut scias, & impulsore nixi sumus. si tibi novum hoc inventum videtur; num propterea perire debet, aut sugillari? Quædam novitas & gratiam afflat: neque omnis continuò sinistrâ interpretatione desloranda est. desloranda, dico? imò optanda.*

*Quid scripta laboréſque Neotericorum magis labefactat, quàm quòd novi nihil afferre censeantur, alter in alterius horto poma legat, vineta cædat, plantas transferat. Ne inventionis quidem ratio habetur. detritæ chordæ tanguntur: antiqua Lyra remugit. reſumpta Veterum repotia multi eructant: & tamen recentissimi musti propolæ haberi volunt. ut vel hinc intelligas, non esse in hoc studiorum genere omnia statim rejicienda, quæ nova sunt. imponantur bilanci, quæ in foribus Parnassi suspensa est; librentur. probari possunt, quæ placent. displicita submoveri; ne Poëta, cùm per errorem absolverit, in saxo Sisyphi sedens, duplici incommodo afficiatur. Multi Critici, opinor, ne dicta quidem & facta sua censuræ submittere audent: erit ille invidendus ad contumeliam, qui etiam cogitationes suas submittit? sunt hoc ævo mirabiles Areopagitæ Iudices. plurimas odas scripsi: quas ego postre-*

*poſtremo loco ponerem; ſtatuunt alij primo. Medio dignæ, ad faſtigium evehuntur. Summum meritæ, volvuntur ad imum. Atqui omnes ego confeci: & ſcio, quid ſingulis debeatur. Quædam delectant: ſed non ſunt idcircò eximiæ. Quædam horrorem ſpirant; at artificio pollent. Aliquæ neglectæ videri poſſunt: & Horatium in ore ac vultu, ipsóque ventre Citharæ gerunt. Iámne vides,* BERTRONI, *quid ab experientiâ doceamur. Illud quoque conſideres, velim:* Artem longam eſſe, vitam brevem. *at in iſtâ brevitate, quàm multa fugiunt nos, & elabuntur optima; quia non advertimus illabi. ſuffocantur & pereunt Divinæ mentis ſemina. Hortante* RAPHAELE STIBIO, *imperavit ſibi ſemel animus, ſtrictam aciem intendere in volatica Mentis ſimulacra: & ecce, uno alteróve menſe, quaſi per tranſennam incidentia carpenti, quamvis omnia alia agerèm, quanta conceptuum ob-*

*jecta est silva! Nec omnis utilitas abest. Habere parata, quæ scribere possis, (esto, aliqua nunquã scripturus sis:) quanta felicitas! Cella vinaria, adhuc crudi liquoris plena, oblectat hospitem: & Poëtam rudiũ quantumvis argumentorum luxuriosa libertas. quippe ab utroque depellitur metus inopiæ, quo carere, jam aliqua voluptas est. an soli nummi afficient contemplantem in arca inutiles divitias, è terra erutas; & segniùs mulcebit animum thesaurus, ex suis visceribus progenitus? Vide, obsecro: quàm anxiè multi, quoties occasio vel necessitas scriptionem exigit, opportuna Themata conquirant. concutiunt caput, frontem, pectus: nihil excutitur. velluntur capilli: ne pilus quidem inventionis unà evellitur. explorant venam Poëticam manu: non tamen addicit. pede Pompejano icunt terram: icta nullum versum militarem producit. nulla novitas pullulat. omnia quidem tentant:*

*tant: ſed neque ſi vel dentes ſuos ſeminarent; ullum terrigenam in Phocide aſpicerent, ſex pedibus ſurgentem. Heroicum verſum vel facinus fruſtra novus tentaret Iaſon. Non omnibus locis, neque omni tempore, etiam juratis clientibus Apollo favet. ergo juverit, penum domeſticum locupletem eſſe. in promptu habere, quæ multò antè concepta, ad nutum emicent in lucem. Laudamus providos Patresfamilias: qui, ſi hodie genialiter vivunt; jam & craſtinum computavêre. Adde præcocia, indigeſta, ſic maturari poſſe, vel in ordinem redigi: quâque facilitate, in ſpeciem tantùm blanda, obrepſerunt, rurſus abjici.* Nox dabit conſilium, *inquit Parœmia:* certiùs multi dies. *Animus quoque liberior, ſtimulante lætitiâ: meat promptiùs in negotium conficiendum; medio labore jam profligato, planius redditum. Ajunt, hac de causâ, Virgilium Æneidem ſuam, priùs compoſuiſſe pro-*

*sâ,*

*sâ, quàm versu. nimirum ut animus hoc ipso liber ab inventionibus morosè excogitandis, tantò impensiùs immensæ moli evolvendæ incumberet. Respice Turnum ipsius. arma movere parans Dardanio rivali; non tunc primùm ivit ad Fabrum, lanceam rogaturus, deinde ad duellum: sed*

Exin, quæ in medijs ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Arunci spolium; quassátque trementem
Vociferans: nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos; nunc tempus adest. te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit.

*Hoc impetu Iuvenis studiosus corripiat sagittam ex pharetrâ Phœbi: quo scilicet Mars cuidam Eunucho, apud Claudianum, indignatus:*

*In Eutropiũ Lib. 2.* Tunc adamante gravem nodísque rigentibus hastam

Telum

Telum ingens, nullíque DEO jaculabile torſit.
Fit latè ruptis via nubibus. &c.

*Ex quo inſuper cognoſcas, apparatum horum Lemmatum, qualia ad imitandum ſubjecimus, poſſe quodammodò Poetæ, non inane nomen aucupantis, conſtitui Armamentarium. Verùm ut propoſiti mei rationem paucis abſolvam; ignoſces mihi,* FRANCISCE, *ſi te ab armis ad penicillum remiſero. Pictorem fuiſſe accepimus, ſuavi ingenio, & lepidâ ſimul arte prorſus admirabilem: præſertim ad effigies hominum extemplò ducendas aptiſſimum. is trecenta & ampliùs capita, in anteceſſum, diverſiſſima formaverat; genus omne, cana, inculta, criſpa, ſulcata, juvenilia: Virûm puerûmque, ſexûs utriuſque, virgines, & aniles vultus, imperfectos tamen: nam absque oculis, cavo relicto, ubi debitis coloribus accendi ſtellæ poſſent. pendebant ergo formoſæ larvæ, magno numero, in parie-*

*parietibus; quomodò pilei emendi. è quibus licèt multi probentur; emptor tamen unico, qui capiti rotundo quadrat, contentus abit. Quisquis conscius huius rei, effigiem suam petiverat, intra non integram horam, mercede constituta, secum lætus & admirans tulit absolutam. Obtutu enim in petitorem defixo, detraxerat Graphicus Magister ex omni numero commodam personam: quæ saltem aliqua similitudine præsentiùs ad faciem figurandam alluderet. hanc tabellam ophthalmicus Apelles, ut peculiare suum artificium ostenderet, observans pupulam (quippe ex oculi fenestra flagrantior prospicit Animus: vivit, gemit, ridet:) vivacissimè insignivit: & ex cæca larva, tam genuinum alterius vultum expressit; ut ovum ovo non esset similius. Postmodùm, nullo negotio, parerga addidit; eâque dexteritate totam effigiem brevissimo tempore consummavit. Quò tendam,* BERTRONI, *facilè*

*cilè capias. Quot Themata rudi delineatione, velut carbone adumbrata, in conſpectum do; tot larvas vides; illuminandas, ſi neceſſitas poſtulat: ſi emptor adeſt, ſi operæ pretium ſuadet, ſi cupidini ſtimulus adjicitur, ſi ab alveari fuci deſunt.*

Denique quid verbis opus eſt? ſpectemur agendo.

*Dicebat Aiax ad Vlyſſem. Diſcute,* FRANCISCE, *acervum. elige ex omnibus unum, quod lubet. experimentum cape pollicitationis meæ. Dixeram. ille fiduciâ ſuâ meâque uſus: Quoniam, inquit, copiam facis tui tam liberalem: & ego* Viennam *proficiſcor cum Filio meo* CAROLO, *offerenti ſe ad Turcicum Bellum, (arma ſpirantem retinere non poſſum) age, Thema Martium, in quod ultimum oculos conjeci, campo expone.* Bellum mirabile promittis; Ignorantiæ Caſtrum everſum: *veluti nos Conſtantinopolim expugnatam optamus. Hoc, ſodes, præſta; & deſcribe*

*ſcribe nobis, quo eventu pugnatum ſit.* *Certè* IOSEPHUS *meus intelliget, ſi non* CAROLUS. *Quaſi paciſceremur; reſpondi me confecturum: addito, abſolvetur citiùs, quàm redieris, plenam myſteriys Heliconiys Scriptionem exarabo. nihil fruſtra, nihil ſine uſu narrabitur. Sic hilares valediximus: & ille cum Filio* CAROLO *perrexit Viennam Auſtriacorum: ego ſcripturus ſeceſſi in Bœotiam, aut veriùs Vtopiam.*

FACVL-

# FACULTAS
# R. P. VISITATORIS ET VICE-PROVINCIALIS
## Societatis Iesu per ſuperiorem Germaniam.

CUm Opuſculum Jacobi Balde, è Societate noſtra, inſcriptum, Expeditio Polemico-Poëtica: ſive Caſtrum Ignorantiæ oppugnatum, & everſum, ſolutâ oratione conſcriptum: uti & Apparatum novarum inventionum, ſive ſimilium Thematum ſcribendorum, ab eodem in Paradigma propoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Patres legerint, cenſuerintque publicâ luce dignum: Ego CHRISTOPHORUS SCHORRER Societatis IEsu per ſuperiorem Germaniam Viſi-

Visitator, & Vice-Provincialis, potestate ab admodum R. Patre IOANNE PAULO OLIVA Vicario Generali, ad id mihi concessâ, typis excudi permitto, in quorum fidem, hoc Auctori chirographum Officij mei Sigillo munitum dedi. Neoburgi, 23. Maij, 1664.

CHRISTOPHORUS
SCHORRER.

# EXPEDITIO
# Polemico-Poëtica

*SIVE*

CASTRVM IGNORANTIÆ

Bœotorum Arcadúmque Reginæ

à Poëtis

Veteribus ac Novis

obſeſſum, expugnatum, everſum.



# Series rerum
## in hac expeditione gestarum.

XVI. *Publ. Virgilius Maro Dictator creatus, non tam, ut pugnet, quàm, ut pugnatores dirigat.*

XVII. *Horatius Flaccus animandis militibus ad hanc expugnationem, se fistulatorem offert, Poëta Lyricus.* (*tigatur.*

XVIII. *De Tympanotriba constituendo li-*

XIX. *Valerij Martialis Epigrammatographi astutia.*

XX. *Priscianus vapulans (ex Frischlini comœdiâ) Tympanotribas substitutus.*

XXI. *Quem tamen Horatius aspernatur, fistulâque abjectâ ad triarios se confert.*

XXII. *Iuvenalis ad duella parati compressa audacia.*

XXIII. *Lucanus tubicen electus.*

XXIV. *Papinio Statio exercitûs ducendi cura à Marone demandata.*

XXV. *Quo tempore aggrediendi barbari, in senatu bellico varia consultatio.*

XXVI. *Virgilius auditis quatuor Poëtarum sententijs, tempus vespertinum decernit.*

XXVII. *Claudij Claudiani anceps encomium.*

XXVIII. *Statio Ductori exercitûs, comes adjungitur.*

XLI.

XLI. *Papinij Statij Laus.*

XLII. *Lucretij curiosa solertia. utitur operâ Claudiani.*

XLIII. *Ovidij in hac expeditione felix ingenium.*

XLIV. *Lucani arcem obequitantis infortunium.*

XLV. *Martialis jacula (sive acumina) quid effecerint.*

XLVI. *Statij industria, & fervor.*

XLVII. *Idem tamen audacior multis, quàm prudentior visus. novus Capanêus.*

XLVIII. *Satyrographi, arcis obsessæ portas vi effringunt.*

XLIX. *Arx diripitur. omnia in prædam cedunt.*

L. *Pudenda spolia inventa.*

LI. *Persij noctu quoque invigilantis, Laudabilis industria.*

LII. *Error à Terentio commissus. Ignorantia per Caminum effugit.*

LIII. *Franc. Petrarcha arcem captam solo æquat, & rudera Diris devovet.*

LIV. *Execratione jubetur Scazon statuarius Vncialibus litteris saxo incidere. perpetuum expeditionis monumentum: Ovidius in libros Fastorũ referre.*

1. ARcem Ignorantiæ, in Bœotiâ ſitam, jam à temporibus *Franc. Petrarchæ* (qui ante ducentos annos, primus Muſas in ſqualore & ſitu jacentes allevare ſuſtinuit) inſtiterant Poëtæ Neoterici, omni bellico
2. inſtrumento expugnare. Sed præter opinionem, ſupra fidem humanam, inventa firmior fuit. quippe mœnibus, vallis, foſſis, turribus inſtructiſſima. neque propugnatoribus deſtituta erat. huc enim, velut ad commune *Indoctorum* receptaculum, profugerant promiſcua turba, *Idiotæ*, *Ariſtarchi*, *Momi*, *Zoili*, *Timones*, *Pſeudocritici*, aliique, toto Helicone & curiâ Romanâ proſcripti; fæx inficetorum hominum. Ab uno latere Arcis ſtagnat lacus in viginti circiter ſtadia diffuſus. Munitio ibi inacceſſa, niſi
3. forte ratibus. *Act. Sync. Sannazarius* (nam iſte inter primos, Petrarchæ conſilijs ſe applicuerat) offerebat quidem *cymbas* aliquot *piſcatorias*, plenas Eclogis juvenilibus. deterruere tamen à propoſito cæteri commilitones: *Maphæus Vegius*, *Marullus*, *Bapt. Mantuanus*, *Alciatus*, *Balth. Caſtilioneus*, *Bembus*, *Ang. Politianus*, *Hier. Vida*, *Pontanus*, *Hier. Fracaſtorius*, omnes egregij utraque manu viri. Ex Germanis apparuerunt duo

*Sannazar. Eclogæ halieutica.*

proce-

proceræ ſtaturæ viri; Eobanus Heſſus & Ioachimus Camerarius; Poëtæ laureati. & Heſſus quidem, quia de arte gladiatoria animoſum Carmen condiderat, præfidebat lacertis ſuis, tanquam Laniſta toroſus ac valens. Camerarium celebrem reddiderat Elegia, priore adhuc ſeculo, multò antè vaticinans atque deplorans Magdenburgicum buſtum: hoc autem primùm ævo in prædictos cineres ſubſidens. Præterea curioſæ lectionis vir, atque adeò expertus miles plurium ſtrategematum exempla, quæ ſummi nominis Duces feliciter uſurpaverant, collecta ſecum ferebat; in omnes eventus uſui futura. Hi conſiderato lacu, ingentia ſpacia porrigente, unanimes audax propoſitum ACTIO diſſuaſere. quomodo enim una alteráve cymbula, ſuffectura ſit everberandæ moli aquarum tam pigræ. præſertim ab ea parte ſtantibus, mutandi gratiâ, *Venatoribus*, hoſtibus Muſarum, quod ſciret, acerrimis. nihil effecturum puppibus ſuis: etiamſi accederent VALERII FLACCI *Argo*, famoſiſſimum opus, & ipſius CATULLI *phaſelus* (*ille, quem videtis hoſpites.*) Terrâ aggrediendum eſſe infame latibulum. Hoc ALCIATUS (etiam *emblemate* oſtendere paratus) hoc BEMBUS, FRACASTORIUS, aliíq; cenſebant. Quamvis PETRARCHA *ambidex-*

*Dianæ & Minervæ ſtudia contraria.*

*Val. Flacci Argonautica.*

*Catulli purus Iambus.*

*bidexter*, Tuſco Latinóque carmine, ad omnem belli aleam ſe promptum offerret, quamcunque munimenti partem, ſi permitterent, tentaturus. quod jure ſuo petere potuit: quippe ſcriptum felicius nullum, quàm *de utraque Fortuna* edidiſſe creditur. Cæterùm & continenti impreſſionem facturos, impediebant præaltæ foſſæ, & inæquales: in quibus *amnis ſerpebat*, nihil vivi liquoris ex fonte Pegaſeo trahens; ſed veterno marcidus, & Lethæo torpori colorique ſimillimus. *Ponti aſinorum* ſublicio fidere nemo audebat: quia fallax, & ad inſidias caducus ſternebatur. ſubter tophi, & pumex, *ſicca materia pro vena Poëtica*. Aſſurgebant præterea geminæ turres in altum: quarum altera, quæ Arcadiam reſpicit, *Aſinaria* vocatur; altera *Cadmæa*, ab Actæone, ut perhibent, Cadmi nepote nomen ſortita. nam & hujus aures Diana, æquè ac Apollo Midæ, Ovidianæ Metamorphoſeos tractu *cacuminaverat*. Credebatur & ipſe Actæon, poſt formam à Proſerpina, una parte corporis exceptâ, reſtitutam, intus excubare, vigil & auritus, ut qui maximè. certè venabula potiùs, quàm Palladis haſta, à doctis viris timebantur. Ecce autem MARULLUS, ut erat ingenii curioſi vates, ripam, prope tectum Turris Aſinariæ, obſervaverat

*Fr. Petrarchæ præcipuũ Opus.*

4.

verat

verat *onocrotalis*, fœdo avium genere, tegi. Tum ad ſocios converſus; quid ſi, inquit, *Falconem* meum, tot verſibus celebrem, emittam in iſtos. Falco, *Poëma Marullû Poëtæ Itali, mirè laudatum.*

*Sumamus hinc belli felix auſpicium.* Scio, ſtrage factâ, redibit victor ales in manus. cicur eſt. vocantem Dominum agnoſcit. Sic emiſſus, *circino Deſcriptionis Poëticæ*, liquentes metiebatur aëris vias. Mox ab alto in volucres ignavas atque ignobiles præceps, totum agmen fugavit. non paucas inhærentes unguibus, adunco roſtro diſcerpſit. Simul autem avolare *ignotum per iter*: remeare nunquam; omni ſibilo *Marulli*, omni & clamore poſthabito. Riſere ſcilicet aucupem, ſive augurem Parnaſſium adſtantes: quòd jactantior, vanas ſpes de reditu concepiſſet. Præ cæteris HIERONYMUS VIDA in faciem: aliud eſt, MARULLE, *ſerium longúmque Poëma*, quale ſi mea *Chriſtias* non eſt, certè *Æneis* & *Thebais* erunt, continuo filo texere: aliud, *in unius avis ſcitula deſcriptione* Poëſin & ætatem conſumere. At dices: tamen audimus laudari *paſſerem Catulli, Stellæ columbam, Papinij pſittacum, Phœnicem Claudiani.* Sed nempe hæc minima fuerunt illis. ne Virgilium quidem, ſi ſolas *apes* oſtentâſſet (& quid his divinius?) faſtigium dignitatis, quâ modò potitur, 5. *Hieronymi Vidæ & Chriſtias.*

6. ante cæteros fuiſſe conſecuturum. Erant aliqui ſuperſtitionibus nimijs obnoxij, qui totam obſidionem ſolvendam judicabant, propter infauſtum omen. Quis enim talibus auſpicijs pugnet ? utique, cùm *onocrotali* temerè fugati, mox agminatim reverſi, roſtris corruentes, tantùm non exprobrare viderentur, & inſultare

7. obſidentium inertiæ. Hîc HIERON. VIDA, ut ne deſiſterent, ſeverâ facie militariter precatus, omnes admonuit officij. vitarent ſaltem dedecus manaturum ad poſteros. omina ex MARULLI *Falcone* concepta, nihil curanda eſſe. Se verò oſtenſurum in *Schacchiade* ſua (Ludo Palamedis) aleam Martis volubilem jaci: Victoriam autem ingenio adſcribi, non avibus ſiniſtris, ſive dextris. Sic fatus *Poëma* protulit *repræſentans ſimulacra belli*; docens quomodo in hoſtem eundum, ab eo recedendum. quomodo oppugnandus in ſua Regiâ. quomodo item eludendi ictus, obliquanda vel munienda latera. quæ denique ſtrategemata adhibenda. hæc omnia diſci poſſe in tabula, ex militibus buxeis, veram aciem, vera prælia imitantibus. De quo nobili invento, obſidendi Arcades nec ſomniaverint. Ita perrexit manum ducere in aſſeris ſpatio rhombis ſignati. tum Mopſum, *ligneum ruſticum* mon-

*Hier. Vida Scacchias, Poëma in paucis celebre.*

monſtrans; hic, ait, adhuc coronabitur,
ſublatus in apicem. ille tantummodò
ſubmovendus erit *eques*, qui cornu ferit.
In bello & timiditas & vilitas nonnun-
quam addunt animos. deſperatio ipſa
terrorem facit. Deſperabimus autem
nos tales Viri, PETRARCHA Duce, hos
aſinos ſuperare? His oſtentis animati,
excuſſo pavore, & Falconis averſi omine,
animoſiùs ad arma conclamârunt. Du-
ceret, quò vellet. Siſtendum eſſe: *pe-
dem pedi Poëtico figendum.* etiam Poëta-
ſtri, vix rore Caſtalio tincti, omnes,
quiſque ſuis inventis, quaſi ſcutis galeiſ-
que concrepuerunt. FRACASTORII, CA-
STILIONEI mirabiles impetus exarſere:
MARULLO, præ pudore infelicioris ja-
ctantiæ, abitum meditante, PONTANUS 8.
*pontem* dejiciendum ſibi ſumpſit, ex no-
mine audaciam facinoris capturus. eiuſ-
dem enim artis eſſe, in bello pontem
ſubitò erigere vel dejicere. caſurus erat
quoque tutò in ſubjectum amnem: ut *Pontani*
qui in carminibus ſuis, penè nihil præ- *Carmi-*
ter *lymphas* & *nymphas* loqueretur. TUR- *na.*
RIANO *Turris* Cadmæa oppugnanda data 9.
eſt. SANNAZARIUS *Portam Feſcenninam* *Sanna-*
occupavit, Amazonum ritu ibi pugna- *zar. Car-*
turus. Tres turmas ſecum habebat, ex *mina*
villa *Mergillinâ* prope Neapolim ſitâ; *quædam*
quas omnes egregio Poëmate *de partu* *erotica.*

*Baptist. Mant. genius & Poëmata.*

*Virgineo* instruxerat. BAPTISTA MANTUANUS *magnam multitudinem militum*, sive *subitorum Versuum* (Terrigenas credidisses) in campum eduxit, malè vestitam & inutilem turbam, ridendam fortasse *Populari suo*, cujus auctoritate & patriâ gloriabatur. Aderant & Satyrici aliquot, crinibus incomptis, vultu feroces, quos PALINGENIUS ducebat, *Zodiacum* suum semper aspiciens. ille Latinus: cæteri Thusci: summas alij spes in Bembo & Politiano collocaverant; alij tenues, quippe inassuetis aliquid serium aut arduum agere, turbare hostem, apponere scalas, ascendere muros, solitis potiùs cantare *suas Charites*, Venerem, Cupidinem, flores, violas, lilia, rosas. Cæterùm omnibus ad rem strenuè gerendam incitatis, MAPHÆUS VEGIUS, ut majores animos adderet, si fortè ab obsessorum rebellium contumaciâ fatigarentur, *supplementum Virgilianum* qualecunque, non spernendum tamen promiserat.

*Palingenij Zodiacus, Poëma.*

10\. Interea Bœoti, veteri novóque pugnandi genere usi, fortiter, ut fastuosè indocti solent, inscitiam suam defendêre. Tribus locis tormenta exonerabantur in oppugnantes. totidem habebant. Primum ONOCENTAURUS erat (Catapultæ species) quo tela duntaxat *impolita*, *rudes* trun-

trunci, dolones, spari, hastæ lato ferro, venabulis pares, magno quidem numero, sed andabatarum more, torquebantur: nullâ *Orthographiâ* servatâ, nullâ VEGETII regulâ.

Secundum, CURULE ÆNEUM, *Marsyæ* dictum: quòd Satyri facies impressa esset, cùm manu *ficum* formante. procusum ferunt apud *Moscovitas*, patrijs legibus inscitiam professos, contumeliâ in decus, vel certè receptam consuetudinem versâ. nam discere liberalem artem apud exteros vetantur. domesticæ nullæ sunt. ab omnibus ergo bonis literis arcentur: ne scilicet membra communis Provinciæ plùs sapiant, quàm supremum Caput. ídque mandato expresso *Magni Ducis* cautum est. Tertium tormentum, *Sileni* nomine insignitum fuisse tradiderunt. Satis grandes globos vehit. Quoties igne concepto jaculatur; *Sileni asinum credas rudere*, & antè retróque tonitrua ciere: tam fumosa *Solæcorum* & *Barbarismorum* volumina exploduntur. Utrumque damna non inficianda castris intulit. Passim gregarij Poëtæ, etiam Cæsarei & Laureati à Barbaris sauciabantur. Quidam & sternebantur. Ipsius quoque FRANC. PETRARCHÆ *tentorio*, dum epistolas ad amicos de successu huius expeditionis scriberet, incidit globus, post 11.

atramentarium eversum, partem cortinæ & effigiem *Lauræ* discerpens. Concurritur ad prætorium. plures affluxere, veriti lethale vulnus Duci inflictum. qui tametsi sanus & integer erat, tamen ingens trepidatio orta est. tum FRACASTORIUS ad VIDAM: nunquid non prædiximus? copias nostras immani huic speluncæ expugnandæ non suffecturas; ut si centies numerosiores simus: arma hebetia habemus. valentioribus machinis destituimur. Barbariem eradicare volumus, ipsi *semipagani*. Veterum Poëtarum convocandæ sunt vires.

*Fr. Petrarchæ Poëmata de Laura amasia.*

12. *Delphicum oraculum* consulendum, quid porrò fieri oporteat. Hoc agamus. Dum legatos mittimus, arctissimâ obsidione Arcem cinctam servemus, ne intereà per fraudem cæcúmque dolum, vel manifestam eruptionem, obsessi ullo *commeatu bonarum literarum* juventur. Non omnes adprobavere consilium.

13. Quid enim? an non constituimus hosti nocere, quaquà possumus? ergo submittamus illi cibaria, quæ sumpta scimus illi nocitura. gypsum farinâ mistum ingentes sæpe stravit exercitus. scientias propinemus inscitiæ, tanquam venenum. sic per strategema necabimus: Ignorantes, nihil oderunt magis quàm literas. Harum suffitum, velut sulphur & allia odo-

odorari nequeunt. earum vi magnâ copiosè illata ( esto : nares obstruant ) suffocemus. Contraria videmus contrarijs pelli, tenebras per lucem. igitur, quidquid ingenij & artis superat, utiliore dolo, arci ignorantium sinamus inferri : ut pabulo inassueto distenti: rumpantur. Ista in speciem altioris facundiæ argutè dicta fuerant. Sed contrà FRACASTORIUS: bellandi hic locus est, inquit, non philosophandi. scilicet commeatu suppeditato debilitabimus hostium vires ; quia contraria contrarijs pelluntur ; inscitiâ per artes immissas fractâ. nihil minùs: aliud præliandi genus hoc est. negetur subsidium; ne vel tantillo bonæ spei reficiantur. etiam stupidi amant analecta Musarum, si corradere queant. fomenta quoque qualiacunque, subtrahenda sunt iijs, quos consumptos volumus. His dictis concio mutata est. plerique Fracastorio assentiebantur. & satis constabat, apud obsessos famem regnare. fessos inopiâ scientiarum premi. *Latio clauso*, arctiorem annonam in dies futuram. quippe jam, quod in Samaria factum legimus lib. IV. Reg. c. 6. *caput asini octoginta argenteis æstimabatur* : salpis, *opicis muribus*, *carduisque* consumptis. Sed & herba, *onochites* dicta, sensim defecerat, restabat aliquid *Lapparum* & *Loliorum*,

*rum*, esurientibus commoriturum. certum etiam erat, laborare penuriâ *aquæ vivæ*, Aganippeæ: ut jam ne mediocria quidem ingenia ponere sitim, nisi in incertis lacunæ fæcibus, possent. *olei parum: & hoc de rudi & crassa Minerva.*

14. His ita constitutis, delata ad Apollinem res est. ille primò mirari, adducere supercilium: deinde increpare ignaviam Neotericorum: sed & excusare; quippe ab Augustæi seculi potentia longissimè remotam. Demum ad se: advocemus igitur ex Elysia valle veteres Poëtas: ut junctis viribus infamem Barbariæ nidum dejiciant. Herculi, Jovis filio, non fuisse dedecori, Caci specum vastâsse. Satis superque fore; Si recentiores Poëtæ, veris bellatoribus, calonum ritu, subserviant, discántque mandata exsequi. Nec mora: per Bellerophontem Pegaso impositum defertur imperium: exponitur periculum, proponitur præmium. Summa: jubentur consulere in medium, & Orbi ab indoctis Asinis fesso succurrere.

15. Illicò convenerunt *P. Virg. Maro. Q. Horat. Flaccus. P. Ovid. Naso M. Annæus Lucanus, Annæus Seneca Tragicus. P. Papinius Statius. Silius Italicus. Cl. Claudianus.* ex antiquioribus *Q. Ennius, T. Lucretius Carus. Catullus, Tibullus, Propertius.* Ante hos *Plautus, Terentius.* accitus quoque

quoque *M. Val. Martialis.* Ultimi accesserunt, primi futuri *Iun. Iuvenalis*, & *A. Persius*, Satyrographi. Senatu bellico dato, multa consulta: potiora dijudicata sunt; strictim referenda.

Rebus maturè deliberatis, per majora suffragia, in hanc sententiam pedibus poëticis itum est. Primò: non placuit, VIRGILIUM educi in campum, ad minùs honorificum certamen. Non decere ejus Majestatem, uni nido Bœotiæ expugnando vacare. Ad nova *Pergama*, Urbémq; *Latini*, vel *Ardeam* Dauni, meliùs reservari. Tunc enimverò cum suo Ænea & Turno, Pandaro & Bitia, gloriosiùs processurum. *Equum Troianum, honestè opponi asinis non posse.* rectiùs facturum Maronem, si permanens in tabernaculo, Dictatoris curam suscipiat, & ad bellum ituros, ex longinquo dirigat. Assensum est à plerisque: non tamen ab omnibus, quippe retorquentibus argumentum. Inscitiam per scientissimum utique expugnandam esse; adeóque Virgilium quàm maximè adhibendum. intercesserunt cæteri. in quem usum belli argutiæ Criticorum speculatrices. inter arma non tantùm silere subtiles nugas, sed & Leges. Scilicet si Pagus tumultuetur: ad comprimendam vilium rusticorum seditionem, Achilles statim vel He-

**16.** *Virgilij Poëtarū Principis Encomiū*

ctor

ctor citabitur ! sufficiet quisque inferioris ordinis tribunus, vel centurio. laudavere responsum omnes. STATIUS certè, quamvis æmulatione satis manifestâ præfervidum, ægriùs fortasse laturum metuebant, *Thebaidem* suam eius pedibus statim subjecit, Sic librum affatus:

*nec tu divinam Æneida tenta:*
*Sed longè sequere, & vestigia semper adora.*

Thebaid. 12. PROPERTIUS *præconem agens elatâ voce:*

*Cedite Romani scriptores, cedite Graij,*
*Nescio, quid majus nascitur Iliade.*

17. *Horatij Flacci Laus.* Non defuêre, qui etiam HORATIUM FLACCUM ab oneribus molestæ expeditionis exemptum volebant. Cur enim Latini sermonis Venusinam venustatem Cæs. Octaviani ore laudatam, quovis vitro pellucidiorem, ipso Blandusiæ fonte liquidiorem, inquinaret commercio linguæ peregrinæ? ne aspectu quidem fædissimæ sedis, tot inficetijs ac sordibus verborum oppletæ, violandos esse eius oculos. At ipsemet FLACCUS intercessit, privilegio suo ultrò renuncians (hesterno mero, ut credebant, adhuc temulentus.) Quamvis tubæ assuetus non sim, ajebat; conabor tamen animare milites *fistulâ* meâ, quâ delector. huius usum in bellis æquè novimus commendari.

*Horatij Lyrica.* 18. Quærebatur deinde eligendus in

Tym-

*Tympanotribam.* His PLAUTUM, illis TERENTIUM nominantibus; tandem designatus fuit SILIUS ITALICUS eò, quòd solidum Poëtæ nomen ex integro non mereatur; neque magnum aut excelsum quidquam ex ipso, etiam Africana bella canente, sperandum sit; saltem alios Poëtas contra Barbariam militaturos, qualicunque classico excitare posse. STATIUS & CL. CLAUDIANUS indignum rati, *Virum consularem*, trabeâ conspicuũ, divitijs gravem, vili tympanotribæ munere defungi. imò, hercle, inquiunt, PLAUTUS vel TERENTIUS pulsent. Comici sunt, ridiculi sunt. non erit eis pudori hoc officium. ludere ipsis solemne est, ante & post siparium. Atqui HORATIUS, quanti nominis vir, in fistulatorẽ se obtulit: cur SILIUS tympanum recusset? Nempe, reponebant, FLACCUM tibijs ludere consuêsse. nempe hoc petere. *volenti non fieri injuriam.* At SILIUM clarissimum Virum, non interrogatum, útque credibile est, invitum, ad ignobilis officij vile munus detrudi. Non potuisse illum quidem assequi Virgilij majestatem: esto. quis verò audeat hoc sibi polliceri? at tentâsse id ipsum, homini cætera pluribus negotijs curulis Magistratûs impedito, licèt majoribus ausis exciderit, cur damno sit aut opprobrio? certè

*Silij Italici genius & Poëmata.*

*Censura de Silio Ital.*

certè indecorum videri non debere; *Val. Maronis Vmbram, & Simiam, & ſtatuam adorandam eſſe*, reverentiâ illius, quem ſibi imitandum ſuppliciter, non temerè propoſuerat. Quid ſi, ait Claudianus ad PAPINIUM muſſans, hoc officium mandemus VAL. MARTIALI; non extenuaturum gloriam eius; quippe ludicri Poëtæ, vel potius Sannionis, vix ullâ re magis, quàm Rom. antiquitatis notitiâ cõmendabilis. cibi & gulæ gratiâ cecinisse, *quaſi ad januam*. Præſenſerit hoc ludibrij meditamentum VALERIUS, (ſicut in naſo acumen, & in palato guſtum mirabilem habuiſſe conſtat) an ex delatione intellexerit, neſcitur. avertere tamen probrum parans, etſi tacitè propterea iniquum ſuffragatorẽ oderat, eundem demereri & placare conabatur; ídque munere. Habebat in delitijs Catellum, *Iſſam* dictum, miris leporibus & *Hendecaſyllabis* gratioſum. illum ipſum dono dare ſtatuit Claudiano, mittendum poſtea *Serenæ* Stiliconis uxori. Ut ut ſit: Qui, ſuo tempore, cunctos homines *allatraverat*, canis beneficio, à metu contemptûs & ſervitate plebeiâ liberatus eſt. Iraque ſi PLAUTUS huic operi *Militem* ſuum *glorioſum* accommodare nollet; potiùs ex recentioribus aliquem ſubſtituendum cenſuerunt communibus ſuffragijs,

*19. Cenſura de Val. Mart.*

*Iſſa, Epigramma Mart. celebre.*

*20. Glorioſus miles, Plauti Comœd.*

fragijs, ſuggerente PLAUTO, elegere FRISCHLINI *Teutonis Comœdi Priſcianum Vapulantem*, ex infernis ſedibus ſuſcitandum. quippe hunc tympana pulſantem *pulſatúmque*, queſtu, gemitu, ululatu tam ſonorum chaos editurum, ut barbari hoſtes vel eminus terreantur; animúmque deſpondeant. Accitus PRISCIANUS, ſiſtente Eobano Heſſo, quamquam *toto corpore ſaucius* (ſcias, belli faciem, & ſtipendia vulnerum pati poſſe) extentam inſtar tympani pellem, ſuam atq; alienã, vix quatere cœptabat: cùm indignatus HORATIUS, fiſtulâ Lyrâque abjectâ, ſeceſſit ad partes Satyricorum, muſſans: Num Auguſtæi ſeculi Poëta, *Romana fidicen Lyræ*, adhæreat *cicatricoſo Grammatico* Cæſarienſi? Non Dij, non Deæ Lebethrides ſiverint. effusè riſum. gaudebántque Satyrographi, tam nobili bellatore ſuas cohortes fulciri. IUVENALIS tamen primas tenere perſeveraverat, contumaci ad ſociorum monita vultu. Qua enim re præſtabilior Flaccus? vibrantibus ſententijs? an aculeatis verbis? an florentibus tropis, & ſalſis argutijs, aut vehementiâ inſectandi flagitiorum vicatim errantium dedecora? provoco ad duellum, ſi placet. ſanguine dirimatur lis. ſimúlque eduxerat ancipitem machæram.

*Priſcianus vapulans, Friſchlini Comœd.*

21. *Horatius inter Satyricos medius.*

22.

Grande

*Grande Sophocleo carmen bacchatus hiatu.*

Mirum ! Eobanus Hessus, quia torosus gladiator, statim se Juvenalis lateri applicuerat, ostentandæ artis suæ occasionem quæsiturus. sed interposuit auctoritatem Dictatoriam VIRGILIUS: remitterent hos spiritus communi bono: (nam HORATIUM aliquis horror perstrinxerat.) servarent hanc ferociam in veros hostes. Composito utcunque tumultu, LUCANUS, qui *equo Thessalico* vehebatur, admonitus dare classicum tubâ, qualem inflari audivisset in Pharsalia; quando spectabat

*Lib. 1.* *infestis obvia signis*
*Signa, pares aquilas, & peila minantia peilis.*

Accipio, inquit, lubens hanc conditionem, quaquà possum, nociturus hosti, ære & ferro, voce ac manu. Sic fatus plenâ animâ increpuit buccinam.

*Lucanus in Pharsal.* *Tunc stridulus aër*
*Elisus lituis, conceptáque classica cornu.*

Hoc ideò tam promptè, quia, ut postea animadversum fuit, speraverat totius exercitûs deducendi Antesignanus constitui. Cùm enim Thessalia inter Bœotiam & Macedoniam jaceat, utique neminem semitas Regionis istius meliùs callere, quàm qui tractus illos decem annis (*totidem* scilicet *Libris*) peragraverit:

dum. contulere sententias. PERSIUS existimabat, Bœotos esse opprimendos *concubiâ nocte.* contrà CLAUDIANUS, *de medio die.* hoc Victoribus ad famam fore celebrius: & bubones stricturas lucis ferre non posse. STATIUS suadebat *crepusculum vespertinum*, OVIDIUS MATUTINUM. Intellexit VIRGILIUS ex Quatuorviris quemque genio suo conveniens tempus elegisse, & sibi sapere. Cur enim Auroram OVIDIUS? nisi quia sopore vix detersо, statim promptus est ad factitandos versus. Vel summo manè paratum invenies, fatali felicitate. quomodo orto sole, aves, simul atque evigilaverint, momento temporis vestiuntur, lavantur, pectuntur, comuntur, canunt. At STATII operosior Poësis, non sine mora & pompa, in caliginem aliquam declinat, sacrum horrorem spirans. præsertim, cùm

*Quatuor magnorũ Poëtarũ genius.*

26.

*In Theb.*

*Arma fluunt, longisque crepat singultibus aurum.*

Cæterùm, ut crepuscula vespertina non omnino injucunda sunt, ita, licet aliquid obscuritatis invehat Thebais, ingrata rudibus; tamen *bis senos multùm vigilata per annos,* eruditas aures mulcet. Macte Vatum doctissime. *Parthenope*, quæ tibi Patria est, mea Nutrix fuit. Macte, inquam, & sub vesperum, si potes, invade stolidos hostes ac debella. Mirum! *si asi-*

*Statius iterum laudatus*

*si asini, ferre hinnitum equi Neapolitani queant.* Iam verò Persianas noctes, ad victoriam vel claritatem nominis consequendam, nemini suaserim. exhalant Satyræ hujus Viri graves nebulas. omnia crassis vaporibus fumant, non tantummodò inimicum Lectorem, sed & amicum terrentia. His è diametro contraria opponuntur scripta, CL. CLAUDIANI. quibus nihil esse illustrius pronuncio. etiam noctem in diem vertit. etiam, cùm *Inferni Raptoris equos*, Orphnæum & Alastora, ex imis terræ cavernis profert, radiatis versibus fulget. In *Spadone vexato* quàm severè splendidus, quantâ acrimoniâ festivus! ( vultúmque ad Jun. Juvenalem converterat, velut invidiam moturus ) In *creatis Consulibus laudandis* quàm copiosus ac nitens! porrò quoties *Hymenæum* cecinit, aut calathos delicijs Heliconij Veris exoneravit:

*Statius Neapolitanus. Iudiciũ de Persio.*

27. *Claudiani Encomium.*

*Claud. in Eutropium.*

*Tunc & Solis equos, tunc exsultâsse choreis*
*Astra, ferunt: mellisque lacus, & flumina lactis*
*Erupisse Solo. tunc & Callæcia risit*
*Floribus, & roseis formosus Duria ripis.*

*Claud. in Stilicone.*

Obstupuerunt omnes ad hoc VIRGILII præconium, quòd STATIUM laudâsset; meritum fuisse submissione: qualis in Claudiano non reperitur. At quantum hoc!

hoc! Regem Poëtarum, aureæ ætatis primarium ſidus, ſic extollere quadringentis poſt annis natum, Florentiæ an Canopi dubitabilem vernam? cùm jam *argenteum* quoque *ſeculum* in *as*, ſi non in *ferrum* degeneràſſet. Sed cur à floribus & forma, & nitore, & tantùm non apertiùs à calamiſtro & Stibio commendavit? Sagaciores aliqui, MARONIS facetiam, lepôrem, jocum; quidam & *contemptum* interpretabantur. Ipſe certè CLAUDIANUS in ancipiti ſtetit, famam ſuſpectans. Nam nimia laus, proxima vituperio eſt. ergo ut eliceret veram mentem; ipſe quoque laudatori ſuo alienos verſus, ex Æneide repoſuit.

*Ex Virg. l 2. Æneid.*

*Haud equidem tali me dignor honore.*
*O quem te memorem*, VATES. *namque haud tibi vultus*
*Mortalis: nec vox hominem ſonat. icta Deo mens*
*Totum numen habet, Quæ te tam læta tulerunt*
*Secula? qui tanti talem genuere parentes?*
*In freta dum fluvij currunt, dum montibus umbræ*
*Luſtrabunt convexa: Polus dum ſidera paſcet:*
*Semper honos, noménque tuum, laudéſque manebunt.*

Hæc dicens poſuit genu, Dictatorem venera-

neratus. ille procumbentem mox allevavit, professus vera & seriò dixisse; omninóque velle, ut PAPINIUM, quem secundum à se agnoscat, semper *exterior* comitaretur. conscenderent uterque *equos*, quos tantis plausibus celebrâssent. *ex ungula Pegasi fluxisse carmina*, quæ in caballorum phaleras & frena sumptuosè sparsissent. Quibus signis abstergenda erat suspicio, geminata est, & crevit in mente CLAUDIANI: omninò VIRGILIUM pergere manifestiùs jocari, & quodammodò mimum agere. laudat equos meos, quorum cursum, iubásque & ornamenta descripsi! Ac si *equilia Mantuana* lib. 3. Georg. statuta non intrassem! ubi

*Continuò pecoris generosi pullus in armis*
*Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.*
*Circumstant properi Aurigæ, manibúsque lacessunt*
*Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.*

Hæc tacitè secum. dissimulavit tamen etiam hac vice, & pressit vocem. Tum VIRGILIUS: Quod dixi, repeto. STATII individuus comes esto. *alterum ab altero temperandum censeo.* ille tibi majestatem addet: tu vicissim ipsius caligantibus Thebis serenam lucem affundes. In hac verò expeditione contra Barbaros, volumus, jubemus, ut *agmen* 28.

*Virg.* *agas equitum & florenteis ære catervas.* Nam famâ accepimus, ibi ad lævam arcis impiæ, tesqua spinis, vepribúsque & senticetis obsita squallere. Spes est, lilijs & rosis tuis locum repurgari posse. tanto Floræ Florentinæ apparatu omnia facilè sternentur. At non LUCANUS hæc lætâ fronte & æquo animo: se neglectum vel præteritum reputans. Quid enim? Num defertur mihi magistratus? num æqualis istis habeor? Scilicet *tubi-*
29. *cinem* me fecerunt, qui Iulium Cæsarē & Pompejum M. in campis Æmathijs statui. At, hercule, *si solas vel sententias meas expenderent*, quas pleno ore despumavi, mererer STATIO & CLAUDIANO anteferri. Quis altiùs cecinit? quis destinata clariùs expressit? fulgurant ante oculos Pharsaliæ meæ monumenta, &, ut spero, perennabunt. Tandem, hortante ANNÆO SENECA Populari suo, accessit propiùs VIRGILIUM, suam quoque tesseram poscens. responsum est, LUCANO licentiam dari agundi, quidquid luberet. extra intráque Pharsaliam posse rapi, usque *ad ultimas Africæ arenas*, Pharsalicas nihilominus dicendas. pergeret *furere.* adesse tempus probandi vires. favorem fortunámve hominum, nihil ad rem facere. dexterâ & calamo quærendum decus

*Claud. Poëta floridus.*

*Claud. Florentinus putatur fuisse.*

*Lucanus facundè sententiosus.*

decus in bello. tamen ipſum jam olim ceciniſſe:

*medio poſuit Deus omnia campo.* *Lucanus in Pharſ.*

Denique, tubam & haſtam habes, LUCANE: utrinque vales. *modò caſſide fortiùs munias caput,* inſuperabilis eris. Quis crederet? placatus hac felicitate loquendi, tetras cogitationes ſopivit, imò contentus, & jam ſecurus ſui, ocyùs latiſſimè intonuit, ut plerique putarent ſignum eſſe datum ad prælium. indulſerat lætitiæ ſuæ, acerbitate animi, quam conceperat, expulsâ. adeò repentini & mutabiles ſunt impetus Poëtarum. Rara ingeniorum moderatio, intra ſpei iræque terminos. Digerebantur jam in turmas milites laureati: & PAPINIUS *recenſebat.* Cui tacitè invidens CLAUDIANUS, quòd homini utcunque furioſo, certè humanæ mentis alveum *ſideratis verſibus* egreſſo, ſumma rei delata eſſet; urgens volebat communicari habenas *alternis*, ajebat, *imperandum.* Majores non fruſtra ſanxiſſe legem, quâ æquarentur ſagatorum Conſulum vices.

*Creditus alicubi defectu judicij laboraſſe.*

30. *Statij ſtylus tumens & rapidus.*

*exquirite retrò*
*Prælia, continui lectis Annalibus ævi:*
*Priſca recenſitis evolvite ſecula Faſtis.* *Claud. in Eutrop.*

At LUCANUS, qui & ipſe dolebat CLAUDIANUM ſibi prælatum eſſe, talia exigentem, ſtimulante invidiâ, refutavit. Rei-

publicæ ſalutem in alterno Magiſtratu ſitam non eſſe; & ſæpe periculoſiùs ſtare; mox ruere.

*Lucan. lib. 1. Pharſ.*

*Nulla fides Regni ſocijs, omniſq; poteſtas*
*Impatiens conſortis erit.*

Unum & perpetuum Ducem rerum gerendarum ſummum, omnia ſecula prudentiùs recepiſſe. Gaudio fremebat STATIUS: & dextrâ manu plaudens humeros fautoris ſui, jam dignus es, animoſe vir, inquit: cujus Natalem Diem geniali carmine celebraverim.

*Statius in Silvis l. 2. c. 7.*

*Lucani proprium Diem frequentet*
*Quisquis collibus Iſthmiæ Diones,*
*Docto pectora concitatus œſtro,*
*Pendentis bibit ungulæ liquorem.*

Mox ad CLAUDIANUM; per me ſanè licet: imperemus alternis, ſi MARONI placet. at ſcias:

*In Thebaide l. 1.*

*Fraternas acies, alternáq; Regna profanis*
*Decertare odijs.*

MARO lætatus ingenio, ſua ex tempore, ad uſum citantis, litem decidit, STATIOque ſummum Magiſtratum in hac expe-
31. ditione confirmavit. Paulò antè OVIDIO clàm negotium datum erat, explorandi in Bœotia ſitum loci, viarum flexus, robur hoſtium. Dictum factum.

*Ovid. Metamorph.*

*Sulmonenſis Vertumnus*, ſubitâ metamorphoſi in Centaurum transformatus, pedeſtris eques, poſtquàm omnia luſtrave-

rat,

rat, redijt incredibili celeritate: & retulit, pacatum nihil audiri; diversas infestásque voces, ex Castro Barbarorum, velut ex Circæo stabulo resonare. ab una parte ingentem lacum extendi. ab altera fossas veterno & mephiti sordere, adi-tus esse difficiles: & alia plura. Interrogatus, num volâsset, respondit:

*Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos.* Ovid. in Eleg.

*Nam quidquid conor dicere, versus erit.*

Hæc dicens, positâ Centauri larvâ in verum Nasonem redijt. mox in *mannulum Tomitanum* insiliens, Getarum more pharetratus, aliquot saltus fecit tam mirabiles, ut agilis Schœnobates vix imitari posse crederetur. Sed anxietatem Poëtis majoribus moverat Ovidiana Relatio, de lacu & fossis. MARTIALIS adhuc maligno animo adversus *Claudianum*, in quem vindictam coquebat, scurriliter jocatus putabat solis ejus *Fascibus* fossas impleri posse: tantum Fascium cumulum in sua carmina, præsertim *Consulares Panegyricos* congessisse. & cœperat numerosiùs exponere, plaudente LUCANO. ecce strues fascium, inquiebat. De Ponto.

*Candida pollutos comitatur Curia* Fasces. Claud.

Fascésque *salignis postibus affixos.* In Eutrop.

*Serus temeratis* Fascibus *ultor advenio.*

*In Gildo-* *Trepidos submittit* Fascibus *Indos.*
*nem.* *Tertia Romulei sumant exordia* Fasces.
*De Cons.* *Exsultant reduces Augusto Consule* Fa-
*Hon.* sces.
*Crinitúsque tuo sudabit* Fasce *Suëvus.*
*Ad Theod. Manl.* *Nec* Fascibus *ullis erigitur.*
*Per* Fasces *numerantur Avi.*
*Ad Probin. & Olybr.* *Atque uno bijuges tolli de limine* Fasces.
*Libertas Consule Bruto reddita per* Fasces.
*Hic* Fascibus *expulit ipsis servitium.*
*De Stilicone.* *Venerare curulē, quæ tibi restituit* Fasces.
*Consule lustrandi* Fasces.

*In Eutropium.* Hoc ultimo audito, non ampliùs tenuit iram CLAUDIANUS: & MARTIALI excussissimum colaphum infregit. 33. Talibus servis, & cocis, & mensarum parasitis lustrandi sunt fasces, inquit. tu *scabiose Domitiani canis*, Arcadij & Honorij Augustissimorum Cæsarum amico, & ab ijsdem *statuá in foro Trajani donato* sic illudere! assentator impudens: ego mitissimos principes, pace ac bello inclytos viros, veris laudibus extuli. Tu crudelissimo tyranno, tu ignavissimo *muscarum carnifici* turpiter assentatus es. infamis lixa: an tibi tam invisa est *metonymia*, quæ per *Fasces* Magistratum consularem designat. STATIUS quoque erubuit, quia & ipse consulatum gesserat, Fascibus & securibus stipatum: non indignè ferens, argutantis proterviam cædi.

*Martialis pauper cœnipeta.*

*Sc. Domitiano Cæsari.*

li.] nisi quòd [ invitus *Domitiani canem* nominari audiverat : an non enim tidem & ipse adulatus esset effusiùs, quàm gravem Poëtam decebat, ideóque torque cum effigie Tyranni donatus: *memor epuli*, memor & testatissimi versûs; *Statius Domitiano familiaris. Vid. Lib. Silv. 2. Carmen. 1 & 2. & 3.*

*Palladio tua me manus induit Auro.*

Sed & SILIUS ITALICUS pœnitudine videbatur duci, quòd *pauperem* MARTIALEM, nunc tam petulantem, aliquando stipe juvisset. VIRGILIUS graviter: Quæ hæc, malum, dementia agitat, te MARCE, honestissimorum Virûm ora sarcasmis impetere. censes tu, per ludibrium, fossas implendas esse CLAUDIANI *Fascibus*? ego verò potiùs illas obscœnorum Poëtarum scriptis, *tuis præsertim*, tuísque similibus injectis complanandas esse censeo. his dictis Bilbilitanum scurram senatu movit : motúmque CLAUDIANO in servum addixit, omnia eius bona ipsi attribuens, *Scazonte excepto*: quem T. LUCRETIO CARO donaverat, ad usus fabriles aptissimum. Utpote cujus & forma corporis, & claudicans gressus, & oris color, à similitudine Vulcani non multùm abhorreant. *Statius in Silvis. Sil. Poëta, & Plini⁹ in Martialem prodigi. Epigrammatographi proclives ad convicia & sarcasmos.*

34. Quòd autem Scazontem *Lucretio* famulum assignaverit, causam istam afferunt. ille, eodem consessu, non multò antè facundè disseruerat de varijs strategematum inventis, de tor- *Lucretius Poëta & Philosophus.*

mentis curulibus, de ſubterraneis operibus, agendiſque cuniculis, quibus, ſi pulvis pyrius ſupponatur *à calore Poëtico* accendendus, ſperet, *metu Vacui*, totam Arcem in auras, nullo negotio, difflari poſſe. quæ tamen magis *Philoſophicè*, quàm poëticè docebat. igitur cum VIRGILIUS *Panurgum* expeditionis conſtituerat; hoc eſt bellicæ neceſſitatis artificem, ad omnia ingenio verſatili præditum. Cæterùm CLAUDIANUS *Martialem* duobus lictoribus caſtigandum tradidit, ut diſceret modeſtioribus verbis affari Heroes. illi expediverunt *faſces* & lora, & non perfunctoriè conciſo, ingeminârunt illum verſiculum, ex omnibus omiſſum, ſed præ omnibus memorabilem, quem CLAUDIANUS in Eutropium ſcripſerat:

*Vid. Iul. Scaligerum.*

*Faſcibus & tandem vapulat ille ſuis.*

*In Præfat. l. 2. contra Eutrop.*

Bene contuſum, ne militiæ deeſſet vir alioqui ſtrenuus *miſſilibus jaculandis*, libertati reſtituit, hoc addito: parceret in poſterum nocentibus convicijs: epigrammatum ſuorum ſales prudentiùs alijs ſalibus condiret; ne reducis fronti longè *tetrius epigramma* inſcribere cogeretur.

35. Sapienter & moderatè hæc CLAUDIANUS. Idem tamen alibi caput impegit. tanquam ſapientior videri volens cæteris, ad ſupervacaneas cæremonias defluxit. In procinctu ſtabat acies. ex

ungu-

ungula caballi jam biberat; Daphne lustrata, post oscula Delphici Tripodis, jussum moliebatur iter: quum CLAUDIANUS: Quid si Vet. Rom. Consulum more, priùs arma quàm inferantur, *misso Feciali*, spontaneam deditionem flagitemus. Explosum fuit consilium. An nesciret, *rudes asinos, longissimas quidem aures habere, sed & duras, superbas, contumaces, surdas.* fustibus agendum, & apertâ vi. honorem infulati præconis, sive qualiscunque denunciationis, honestis, hoc est, eruditis hostibus haberi. Idiotas, barbaros, non esse capaces familiaris & sagacis alloquij. proinde bellum instare: bellum cogitarent, arma capesserent. *Claud. Panegyrici de Coss.*

Omnibus ritè ordinatis, & jam ingredi viam jussis: cùm tympana & cornua inter fistularum sonitus streperent; & fluitarent latè vexilla, Pegasi asinum proculcantis imaginem referentia: ecce nova remora. apparuerunt primùm heteroclita Poëtarum ingenia, quàm diversis *humoribus* alerentur, non sine aliquo fastu, & cupiditate ventosæ gloriæ; ac, penè dixerim, stultitiâ. Non agminibus, multò minùs mentibus poterant coire. hi præcedere, hi subsequi volebant: *Elegiaci Heroicis æquari*, quidam & superiores videri. prope seditionem res erat. Cùm in utroque canendi genere excelleret 36. *Poëtarũ Genij diversi.*

*Ovidius*, soli concessa facultas erat, antè retróque meandi, in speciem: quasi *Legatus*, vel *Adjutor bellicus*, primo medióque agmini prospiceret; ultimum cogeret. Hoc animadverso, *Catullus, Tibullus, Propertius*, ægriùs ferentes exsulem præferri, aliquantum restitabant. Sed minis tandem *Satyrici* adegerunt, ut viam inchoarent: *Lesbiâ, Nearâ, Cynthiâ*, (*Corinnæ* tædium, Nasoni jam olim Augustus Cæsar moverat) pellicibus illorum, tantisper intra castra cohibitis. in quem enim usum hæc Martis & Phœbi impedimenta circumvehantur? bellum inquinant, Pacem dedecorant. Semper tantùm amores modulari, sonare basia, & bella labella, & mille suavia, tanti negotij moles sit, & lauro digna! irent jam in hostē absq; cupidine, & alias quàm Veneris promerent sagittas. Catullus non satis lætâ mente talia accepit: perrexit tamen, principem autem poscebat locum, ut interior iret, titulo *Docti*. id quidem nomen obtinuit: sed non sine dicterio. certè non apparere, cur ipse *Docti* nomen decúsque præ cæteris ferret. Num *Argonautica* ipsius, num *Pelei & Thetidis nuptiæ*, num *Phaleucia* erotica, & *elumbes versiculi* tale quid mereantur? hoc militari licentiâ, festivè. nihil tamen usque ad jurgium. ita tres Elegiographi, *Propertio in medium*

*Exsul Ovid.*

*Iudicium de Catullo. Vid. Scaliger. in Hypermit.*

*dium accepto*, arripuerunt iter. TIBULLUS tamen paullò *cultior*, quàm militem decebat, processerat. LUCANUS *extra ordinem*, semper Thessaliæ propior, raptus est, variato habitu nunc Julij Cæs. modò Pompeij magni. jàm galero Mercuriali, jam casside tectus: modò eques, modò pedes: nescires, Poëtam an historicum ageret; utrumque, an neutrum, re ipsa *totus Pompeianus*. STATIUS cum suis versibus cataphractis, *quadrato agmine* incessit, velut Adrastus cum Polynice Thebas expugnaturus. Addita nostri seculi subsidia, *curulia Tormenta*. duo *primæ magnitudinis*, prorsus immodica, LUCRETIUS conflaverat ex metallis à STATIO subministratis, & *ære Dodonæo*; fractiq; veteris *Delphici Tripodis* per tot secula frustis. Primum, *Deiodameia* dictum, ex Achilleide procusum: quamvis altero tanto auxerit *statua Domitiani liquefacta*,

*Et ét in-ter Catullum & Tibullum Propertius etiam medius propter Stylum.*

37. *Lucani impetus torrens, & quædã mentis inconstantia.*

*Et super imposito moles geminata colosso.*

*Statius in lib. 1. Silv. c. 1.*

Secundum, *Sphynx* vocabatur, nimirum Sphyngis imagine insignitum. puto Thebaidis honori hoc datum. SCAZON Cyclops, additus custos. Ipse autem PAPINIUS Ductor *equo Neapolitano* ferebatur sublimis,

38. *Papin. Statius Neapolitanus: gressum equorum popularium, pedibus versuum imitatus.*

Ful-

Stat. in Thebaid.

*Fulmine cristatum galeæ jubar: armáq; visu*
*Tristia. Squallebat triplici ramosa coronâ*
*Hydra recens obitu. pars anguibus aspera vivis,*
*Argento calata micat: pars arte repertâ*
*Conditur; & fulvo moriens ignescit in auro.*

Exterior, ut jussus erat, ad sinistram equitabat CLAUDIANUS, ornatus *cinctu Gabino*, vinctus crines diademate & heliotropio. equum agitabat miræ pulchritudinis, & phaleris sumptuosissimis instructum. ab utroque latere Fasces cum Securibus laurigeris. fama ibat, equum ipsius Honorij Cæs. fuisse, laudanti donatum.

Claud. in Panegyr. Cōsular.

Claud. in Panegyr. 1 & passim.

*Ignescunt patulæ nares: non sentit arenas*
*Vngula; discussaque jubæ sparguntur in armos.*
*Turbantur phaleræ. spumosis morsibus aurum*
*Fumat: anhelantes exsudant sanguine gemmæ.*
*Ipsius at vestis radiato murice solem*
*Combibit: ingesto crispatur purpura vento.*
*Ferratus lascivit apex, horrórq; recessit*
*Martius, & cristæ placato fulgure vernant.*

De Raptu Proserpina.

Crederes senatum petere, non pugnam: curulem Sellam, non campum.

*Lictori*

*Lictori cedunt aquilæ : ridétque togatus*
*Miles, & in medijs effulget Curia castris.*

*In tertio Paneg. Honorij.*

Proximi his ibant in *cothurnis* Tragœdi, Ductore ANNÆO SENECA Cordubenſi; 39.

*Comicorum & Tragœdorum ſymbola.*

nam Comici ſub PLAUTO & TERENTIO in *ſoccis* jam præceſſerant, manipulatim ſparſi; gens levis & vaga. in horum vexillis *Simia* expreſſa ſaliares ludos faciebat. Tragici *hircum* in aëre ſaltantem geſtabant. *a* Agmen clauſit cataphracta Satyricorum Phalanx, *ſariſſis* Macedonicis armata: acribus oculis, truculento aſpectu minax. verbo : torva.

*Satyrici, eorumq; genius & character.*

*Cui tu per mediam nolles occurrere noctē.*

*Iuvenal.*

immò, hercle, nec per diem. Tribus vexillis diſtinguebantur. In *Horatiano* candidi coloris, vidiſſes puerum ridentem depictum, qui porco nitido inſidens, ludibundâ per rictum manu, curvos dentes 40. tentabat evellere.

*Horatij pura latinitas.*

*Perſianum* ex colore praſino nigricans, martes & bubo, animalia nocturna, inſederant.

*Perſius morosè difficilis, & caligans.*

Ultimū *Iuvenalis* vexillum mirâ ſpiculorum varietate, dirus quidam fulgor contriſtavit. Ex una parte *hyſtrix*; ex altera *herinaceus* ſpectabatur intextus. Sequebantur aliquot falcati currus: è quorum jugo, & rotæ curvatura, eminebant romphææ verſatiles, quas *amphisbænas* vocant. denotantur his Satyricorum penetrantes argutiæ, & acutè dicta, quibus,

*Stylus Iuvenalis Satyrici.*

*Plauti Comœdi ingeniũ.* ceu strictis falcibus, obstantia quæque metunt. PLAUTUS, ut postea relatum fuit, has machinas irridens, fatua terriculamenta appellaverat, ad ostentationem magis, quàm ad usum subvecta. quò enim falcatæ quadrigæ in obsessos? servilem sarcasmum si Volscus Aquinas in tempore rescîsset, haud dubiè & PLAUTUS pœnam luiturus, MARTIALIS supplicium renovâsset, orare coactus ad puteal.

*Iuven.* *Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.*

41\. Cæterùm singularis prudentiæ laus, in ducendo exercitu, penes PAP. STATIUM stetit. Nam cùm torrentior æstus Solis arva ureret, per consitas lauro cedrísque *Statij Lib. V. Silv.* *Silvas* feliciter traduxit, *quinque tramitibus sectis.* implexarum & incumbentiũ arborum Rami opacis vestiti folijs, meanti militi gratissimum præbebant umbraculum. quo LUCANI cohors, per nudos campos incedens caruit. unde capitum dolor, fatigatio, & virium marcor. Ut primùm ad Arcem Idiotarum perventum est:

*Virgil. 6. Æn.*
*Continuò audiri strepitus, vocêsque rudentum,*
*Verbáq; jactantum, & confusa murmura linguæ.*

42\. LUCRETIUS, ante omnia sollicitus, de cuniculis agendis, ad *Portam Fescenninam,* prodi-

prodigiosæ novitatis & efficaciæ SPECULUM, ad formam *Archimedæi* excogitaverat, quod radios solis in centrum collectos, undanti fulgore reddebat. Ergo, ut commodiùs inventa arci evertendæ idonea disponere posset; Speculum istud CLAUDIANO tradidit, docuítque ejus usum. Hîc, inquit, consiste, dum terram subeo: & Arcadicos spectatores, ne me observent, submove. si in obversi speculi medium punctum de cœlo jubar Phœbeum inciderit; radiorum, quos reciprocos vibrabit, copia perstringet intuentium oculos, & quodammodò excæcabit. nam, ut ipsemet cecinisti:

*acies stupet igne metalli,*
*Et circumfuso trepidans obtunditur auro.*

*Claud. in tertio Paneg. Honorij.*

Age, *tuos versus Sole nitidiores* immitte, & condensa, oppositos in curiosa barbarorum lumina contorquens. Sicut Medusæ caput aspectum, homines in saxa obdurabit, ita tu claritate repercussâ, rude vulgus in noctuas mutaveris. Quo dicto, hypogea subijt, Q. ENNIO comitante, qui vel maximè gnarus erat *verba osca & casca* ex fætentibus sepulcris refodere. quò si penetrâssent, moliebatur CARUS, cœco pulvere locato, extantes Muros Ignorantiæ à fundo supinare. PLAUTO *Turris Asinaria* commissa: man-

*Eius ingeniũ clarum. Versus illustres, venusti, accommodati aura & tempori.*

*Q. Ennius vet. seculi primus Poëta, dignus legi. Plauti Comœdia.*

mandatúmque est, ut illam ex Comœdia, quam ipse *Asinariam* vocitabat, identidem lacesseret. TERENTIUS in speculis stare jussus. PAPINIUS *Turrim Cadmeam* sibi sumpserat verberandam, directis in eam prædictis grandibus tormentis, *Sphynge* & *Deiodameia*. adjuvante ANNÆO SENECA, in omnes casus attributo.

43. *Ovidius ingeniosus.* Eminuit verò præsignis industria atque ingenium P. OVID. NASONIS. ille circa munimenta, quatenus conditio loci permisit, multiplici gyro volans, diversúmque iter, jam hoc, jam illud equitando circinabat, intentus, sicubi nocere posset: útque proritaret ignavum hostem, recitabat ex composito *fabellas* de longis auribus Midæ, de Actæonis cornibus, & Batto, & Marsya, de cornibus Cippi, & incolis Cypri in boves mutatis; digna atque indigna comminiscens. *Ex suis Metamorph. libris.* tum si quis ex pergulis, vel per angusta foramina prospiceret, conviciatorem visurus; hunc illicò, mirabili dexteritate, *jaculis veneno Scythico tinctis* (qualia in *Ibin* ex Ponto probaverat) confixit. Dicitur plurimos Arcades hac nequitiâ peremisse.

44. *Lucani versus masculi & equestres: sed* LUCANO suas vires probaturo, conatus seciùs accidit. Nam dum Pharsalicum equum in orbem agitans, circum mœnia assultat: ecce, Onocentaurus *phalaricam* torsit, cujus impetu (licet

cet tempus lævum prætervolâsset) adeò territus fuit, ut penè attonito similis ex equo defluxerit. Miserabantur obsidentes socij. At obsessi, qui casum observaverant, de Muro exprobrabant. *En ille tantorum præliorum magnanimus narrator: sed justâ Nemesi plexus. Pompeium M: tot victorijs clarum belli Ducem, tot versibus tuis celebrem, Iul. Cæsare majorem, victum denique, tam abjectè timidum in fuga descripsisti, oblitus tui; ut etiam in silva errantem, ad omnes foliorum motus trepidâsse confinxeris. Hæc est constantia Magni! Hoc judicium Vatis! Hæc religio servandi Decori!* Dignus es Lucane, panico terrore, quo Maximum Heroëm perculisti. Hæc opprobria ex mœnibus. unde autem hæc fiducia & temeritas barbarorum? imò scientia? requiret aliquis. Quis credat, Ignorantes Lucani, generosissimi Poëtæ Pharsaliam peragrâsse? legisse carmina cedro digna, & Hispanum Vatem sonantia? prorsus ab omni veri similitudine aberrat hoc nugatorium commentum. Hinc patet, Historicos, omni ævo, pro lubidine plurima finxisse & fingere. Respondemus: per omnem insolentiam Ignavorum non insolens esse, si indoctissimi quique doctissimis exprobrent, quod nesciunt. nam quæ vel rudi auditione

*impetus non semper ad rationis normam moderati Vid. Iul. Scaligerum.*

tione accepta perperam hauserunt asininis auribus, vel iniquâ mente confinxerunt; effundere solent in CL. Virûm capita; ut saltem quomodocunque noceant, & alterius famam conspurcent, ipsi fœdissimi. *Calumniare fortiter*: semper aliquid hærebit; inquiebat, similis

45. Bœotus. Cæterùm neque Val. Martia-
*Epigrãmata præclaris majorũ Poëmatũ monumentis non esse exæquanda.* lis magnum attulisse momentum, aut terrorem intulisse credebatur. Nam malleolis flammas spargentibus certabat, non magno profectu. Epigrammatum telis sæpe *acumina* deerant: & missilia, pyropi in aëre futura, humidiore materiâ composita, difficulter ignem concipiebant. Cuspides quædam, utcunque putabantur sulphuratæ, dissilientes, *in fumum abierunt.* certè vim latè grassandi, ad hostium damna non pertulere. Aliqua tamen, irâ potiùs, quàm arte inflammata, satis feliciter in Zoilos torsisse fer-
*Martialis felix in Momos.* tur. Credo ignominiam, quam ex colapho Claudiani impacto sustinuit, Viro cætera egregio, vires animúmque minuisse.

46. Interea STATIUS *curules machinas*, sine intermissione, in propugnaculum Cadmæum exonerabat: SCAZONTE loripede servo strenuam operam navante. Nota-
*Ann. Seneca sententiosus.* verat tamen SENECA, ex globis emissis *plus fumi* & nebularum excitari, quàm damni

damni inferri. quati muros, non verti. Itaque *efficaciſſimas ſententias & quidem amentatas* (quarum ſcilicet inopiâ PAPINIUS laborabat) nitróque & bitumine Tragico permiſtas *Sphyngi* indidit. Tum enimverò horrenda tempeſtas excitata, immani fragore nubila & mœnia laceravit. Volabant verba pondus habentia ex tropis & figuris Poëticis, quaquaversùm, *in decuſſim.* jámque à carminum tonantium frequentibus globis, cadebant fragmina murorum, pinnarúmque; tanto numero, ut grandinem æquare viderentur. Ex ijs fruſtis, *Amphion* aliquis, facilè novas *Thebas*, ad Teſtudinis ſonum, condidiſſet. hinc ſumma apud obſeſſos conſternatio. Multa loca præſidijs nudata.

*Quam in Oedipo deſcripſerat.*

47\. Non contentus hoc tumultu STATIUS, denique moræ impatiens, ipſam Turrim, quanquam diſſuadentibus alijs, ſolus aſcenſu ſuperare parat, fomite rapidi ingenij ſtimulante: omnia auſurus, quæ Capanêus.

*Statius in Tropis formandis audax habitus.*

*Seu virtus egreſſa modum, ſeu gloria præceps:*
*Iam ſordent terrena viro, tædétq; morari,*
*Ardua mox torvo metitur culmina viſu:*
*Innumeróſque gradus geminâ latus arbore cluſus*
*Aërium ſibi portat iter: longéque timendus,*

*Lib. 10. Theb.*

*Ocyùs*

*Ocyus alterno captiva in mœnia gress*
*Surgit ovans.*

Obſtupuere omnes. CLAUDIANUS cert oculis manum oppoſuit, miratus auda ciam: temeritatem potiùs, quàm forti tudinem eſſe. videbatur in aëre pendere & ruina timebatur. STATIUS autem jam altior, *Magnanimum Æaciden formida támque Tonantis Progeniem* imitatus, nul li labori parcere.

Initium Achillei-dos.

Lib. 10. Theb.

*Vtq; petita diu celſus faſtigia ſupra*
*Emicuit, trepidámque aſſurgens deſupe*
*Arcem*
*Vidit, & ingenti captos exterruit umbra*
*Increpat attonitos:*

Vos Bœoti, vos aſini illiterati, vos flac cidi ſtolones. Defendite Regiam veſtran Idiotæ, Auriti Momi, Ignorantes profeſſ ego vos Zoili: ignaviſſimi ſtupores Semper mihi obſcuritatem objicere quaſi verò caudicibus iſtis nubila præ tendam! quaſi veſtrum cerebrum, ſi ta men habetis ullum, tenebris confundā veſtræ inſcitiæ culpa eſt, non mei moris En, vindex adſum injuriarum. Nec for tiùs dixit, quàm fecit. devolvere in ſub euntes carminum formidoloſorum ſo nantia latè ſaxa, trabes, rudera; inſupe ſuſpicientibus, nam aſcenſu Bœotos jam ſuperaverat, *Palladis Gorgonem* (credeba tur ab ipſa Diva ſubitò per aërem, Alu

mnc

mno suo delata) obvertere. quidquid obvium ex *Thebaide* & *Achilleide* diripi potuit, in Arcadicum pecus projicere.

*Simul insultans, gressúq;, manúq;* *Capanêus apud Statium lib. 10. Theb.*
*Molibus obstantes cuneos, tabulatáque sævus*
*Destruit. absiliunt pontes, tectíque tre-mentis*
*Saxea frena labant: disseptóque aggere rursus*
*Vtitur, & truncas rupes in sana domósq;*
*Præcipitat, frangítque suis jam mœnibus Arcem.*

Desperata res visa. jam non obsessi tantùm, sed propè expugnati, concurrunt ad *Portam Fescenninam*, exitum quæsituri, fugam spectantes. Sed eo ipso tempore, *fulminatrix Satyricorum Legio* portam effregerat. IUVENALIS, cùm diu clamâsset: 48.

*Semper ego auditor tantùm: nunquámne reponam;* *Sat. 1.*
*Vervecum in patria, crassóque sub aëre natis?* *Sat. 10.*

Arietavit in postes. idem ardor HORATII, idem PERSII fuit. junctis viribus procubuerunt cardines eversi. mox latè patuit via in primum atrium. Volseus altissimè vociferari, & socios auxiliares respectans advocare: identidem fulmineũ & fatalem suum versum ingeminans:

Quid-

*Quidquid habent telorum Armamentaria cœli, devolvite.*

CLAUDIANUS, floridioribus armis, ipsóque ſpeculo LUCRETII abjecto, *Stiliconiam Securim*, quam in Ruffinum & Eutropium olim ſtrinxerat, reſumpſit in manus, conſociatis lictoribus; unáque cum alijs in penetralia irruit. tum verò
49. miſerabilis rerum facies explicata. continua ſtrages & laniena audiebatur. ceu in perditiſſimos eunuchos, & meritos proditores Patriæ graſſarentur, ſævitum eſt. Quotquot Momi primi incurſabant, *formam & vocem bovis referentes*, ominosè in victimas computati ſunt, ſtatímque in ipſo veſtigio, abſque vitta, & polline Deabus SOPHIÆ ac MINERVÆ immolati. Adhuc cumulatiùs favit A-
*Symbola divitum indoctorum.* pollo victoribus. Nam plures *aſini coccineis tapetibus & auro onuſti*, qui per poſticum elabi tentaverant, retracti intercipiebantur. in prædam ceſſere plera-
50. que. At enim præter ingentem pecuniæ vim, facti infectíque argenti, & alia mille talenta, nullius ingenij, nullius artificij ſpecimen inventum. Nihil Apellis, vel Polycleti aut Mentoris. cuncta rudia, & mentis hebetudinem ſpirantia. Unam alterámve ſtatuam Midæ, Regis Phrygiæ, repererunt. Simulacra item Faunorum, Sileni, Bacchi, Priapi, Veneris, &

& ſaxum Batti. OVIDIUS & LUCRETIUS putabant ipſiſſimum eſſe ſaxum, in quod ſtupor diriguit. Cæterùm ingens *Cornucopia* ex cervis, & hircis, & bubalis collecta. De cornu, vel naſo Rhinocerotis, nihil. Magna ſeges *venabulorum*: quibus veruta, lora, nodi vinculorum, & quædam monilia canum appenſa. Menſæ alveis & chartis luſorijs; item taxillis & aleis refertiſſimæ. Quis riſus, quæ admiratio occupantium hæc idola inſaniæ, & evertentium has Cathedras puerilium nugarum? PERSIUS de die minùs ſolitus videre, quàm noctu, uſus fumo, & pulvere, & tenebris, ipsóque Solis occaſu, quaſi aliud agens, dum alij furunt & mactant, per anfractus & conclavia ſpatiatus, abditiſſima quæque rimabatur. caſu incidit, in *arculam* vermiculato ebore ornatam, reconditam in angulo; Secretorum Conſiliorum faſciculum complexam: qualia Bœoti adverſus bonarum literarum Principes, ultimo conciliabulo ſtatuerant. Infanda ea quidem, ac propter horrorem ſcelerum vix fidem inventura, propediem, ſi ſuperis placet, vulganda. Iam omnia Poëtarum ſummâ lætitiâ fervebant. unica fruſtratio iniquioris Fortunæ, plauſum turbavit. *Ignorantia*, Domina aſinorum, utcunque arctâ indagine TERENTII ſepta

51. *Perſius obſcurus Poëta, ſed recondita doctrina.*

52.

pta cingebatur, ne posset evadere; deprêndi nequijt. Per fumum creditur venefica in auras erupisse, exemplo Medeæ. *Seneca Tragicus* hunc dolum observaverat. Quare Diris devotam in hæc verba persecutus est.

*Vltimi versus Tragœdia de Medea.*

*Per alta vade spacia, spissato æthere,*
*Testare nullos esse, quà veheris, Deos.*


Quo cognito, cùm convenissent Poëtæ Victores, Lauri folijs comas innexi: postquam satiaverant dolorem (& hunc ipsum Ignorantiæ elapsæ) stragibus obvijs; Arcem evertendam funditùs esse censuerunt. Nec mora: solo æquata est. *Onocentaurus* Catapulta, aliæque barbaræ machinæ, in frusta comminutæ, sub Dio
53. jacuerunt, ludibrium inertis soli. Aderat *Franciscus Petrarcha*, (is, qui princeps hoc bellum moverat, Latij assertor) & entheâ exclamatione, destructionem funestæ Munitionis firmavit: quali scilicet Iosue Urbem Iericuntinam devoverat.
L. Ios. c. 6. *Maledictus vir, qui suscitaverit & ædificaverit* Arcem Ignorantiæ dirutam. *in primogenito suo fundamenta illius jaciat: & in novissimo liberorum ponat portas*
54. *ejus.* statimque advocato Scazonte, curavit tres claudicantes versus humili saxo incidi, ut à prætereuntibus facilè legi possent.

Exstruc-

*Exstruere rursum si quis ausit hoc Castrum:*
*Hiscente Terrâ, quæ ferebat, absorptus (vivus vidénsq;).*

Sed aderat & Satyricus aliquis, cavillatus in hunc sensum. Quid proderit evertisse hosticam sedem, aut reparatores arcere? *Ignorantia*, ut scitis, *abijt*, *excessit*, *erupit*, *evasit*, modò nusquam & ubique habitat: omnium indoctorum & rudium pectoribus recipienda. in omni plebe reperiet diversorium. Venatores, milites profani, avari, fœneratores, torquati publicani, purpurati cerdones etiam palatium aperient. Cæterùm expugnationem famosæ hujus Arcis, omnémque gestæ rei seriem, *Ovidius* in suos *Fastos* referre jussus est. *Ovidius auctor Fastorũ.*

F I N I S.



HAbes fabulam, IOSEPHE, confectam. cui si applaudere vis, favori immerito adscripserim; si explodere; scias, te cum fumo & imaginibus aërijs litigare. Sed & hoc noveris: Figmentis Poëtarum, subesse verisimilia, quæ continuare, *servato semper Decoro*, (quam laudem nobis non pollicemur) rem in *Poëtica*

*Facultate* esse difficillimam. Vera enim facta narrare, uti est syncerioris animi, & constantioris propositi; ita in ficto schematum usu non deficere; progredíque usque ad spectaculum eruditæ voluptatis; nisi me labores & otia fallunt; dicam esse felicioris ingenij, & majoris artificij.

Habes igitur, Iuvenis nobilissime, Veterum Poëtarum (nam Recentium censuram, delibando vix attigimus) ingenia geniúmque, stylorum & spirituum varietatem, atque diversos canendi modos, militariter à nobis descriptos, non sine illecebra, ut putamus, aliqua, convenientè tuæ ætati, assumendos. Indue Vatis, qui placuerit, ferociam & arma, quæ mensuræ respondeant.

Ad *Crisin* quod attinet, hujus militiæ nervum & animam; non tam proprio, quàm alieno doctissimorum Virorum judicio adhæsimus. VIRGILIUM, quasi Archistrategum, primas tenere, quis nescit? ab illo secundas STATIO alij quoque assignant. OVIDIO, ingenij & facundiæ prærogativam, nemo sine piaculo eripiet. LUCANUM, animosissimum Poëtam, legíque dignissimum, multis tamen *Tautologijs* indulgere, sibíque non semper constare, constat. CLAUDIANI elegantiam & nitorem nativum, séque ubertim

tim propinantem studiosæ Iuventuti, qui hactenus superaverit, non vidimus. LUCRETIO philosophari, ut ipsemet fatetur, amor & gloria fuit. Quare TIBULLUS vocetur *cultus*, scimus; quo autem jure CATULLUS *Docti* nomen antonomasticè usurpet, multi mecum hodiéque ignorant: esto: Passeratio aliud videatur. IUVENALEM HORATIO, quoad Satyras, non ego tantùm, sed & alij præponunt. PERSIUM obscurum esse, res loquitur. Hinc quidam: *Vis PersI tetricas videre noctes? Auditor lege scripta: Lector audi.* MARTIALEM sæpe impurè calidum, nonnunquam ineptè frigidum cavillari, jocosæ eius & lascivæ paginæ docent. Cæterùm negari non potest; M. Val. Mart. Epigrammatographum loco suo honestissimè stare. Poëtam non ignobilem, ingenio & facundiâ præstantem, dignúmque, qui à Iuvenibus correctus foveatur. Paupertas illi in hac Expeditione objecta, militare convicium est; imò potiùs jocus. Quòd aliqua indignè perpessus sit, ad belli licentiam referas. Mars promiscuè spolia & injurias dividit. probri aut incommodorum in bello metuens, etiam ante tubam, necesse est, clypeum & hastam abjiciat.

Sequitur

# Elenchus similium Argumentorum,

*Sive*

# Apparatus novarum Inventionum & Thematum scribendorum in gratiam Ingeniosæ Iuventutis.

*QVæ Poësin, & Castalium Poëtarum Humorem, propiùs contingunt; in margine litera P. signavimus. Paradoxa, quæ proponimus, non explicamus: nam declarata, non ampliùs erunt paradoxa. cuiusque divinationi relinquuntur.*

## THEMATA.

MAlæ Conscientiæ *Culeo* insutæ parricidale supplicium. *Ode. Sat.*

*Vrna Fortunæ*, mortalium vota multipliciter ludificans. *Ode. Sat.*

Quare facta viris, verba fæminis comparentur. *Ode.*

An

An quidam ex vero dixerit: *In aula ſolos equos non adulari.* hinc Principes quoque & Reges cogi, equitandi artem addiſcere. *Declaratio.*

An Stoiciſmum ſapiat: *Contemptum contemptu vindicare. Problema.*

Quæ vera, quæ falſa libertas. *Ode.*

An quidam rectè & muſcis catarrhum aſſignaverit. *Eutrapelia.*

Invidiâ veſci ſolitos, nutriri viperis infœcundis. *Ode.*

*Ad Senes decrepitos, ætatem jactantes.* Vitam hominum nunc breviorem; poſt Noſtri SERVATORIS mortem, ejus beneficium eſſe, non inter ultima ponendum. *Sat.*

Vivendum in hoc ſeculo, tanquam ſemper vivendum. Paradoxum.

De hedera ante vacuum dolium ſuſpenſa. *Lamentatio.*

An Poëtæ ab inteſtato heredes relinquere poſſint: an ſuccedere? *Diſquiſitio.*

Victore ejulante, nihil infelicius ferre Campum Martium. *Ode. Sat.*

Sapienti nihil ſubitum, nihil inopinatum accidere. *Ode.*

Deſperationem ſtolidâ ſuperbiâ prægnantem, plerumque contemptores Muſarum parere. *Demonſtratio.*

Cur *Aula*, & *Olla.* apud Vett. idem ſignificaverint. *Declaratio.*

*Armatis precibus* nihil esse violentius, aut acerbius. *Ode.*

Voluptatis gustum, & honoris fructum rarò simul conjuncta reperiri. *Ode.*

P. *Clamorem asini*, esse præsagium ingruentium pluviarum : & *clamorem momi*, esse prognosticum tonantium Satyrarum.

Dialogus Cicadæ & formicæ. *Ode.*

Othomannicæ Monarchiæ abdomen, quomodo exenterandum.

P. Gladius & pugio, sive *Scazontis* & *Adonij carminis* in conventu Poëtarum lepidum duellum. *Dialogus.*

P. Ad Poëtas. *Cultus videri qui volet, sit negligens.* Paradoxum.

P. Alterum. *Multa litura, deformes sulci, Poëma formosum faciunt.*

Fortunæ musto ebrios, vix unquam, nisi moribundos, crapulam exhalare.

Non esse dignum Epitaphio, qui mortem surdam aliquid rogat. *Ode.*

Beneficiorum memoriam exprobratam, omnem odorem & gustum perdere. *Ode.*

Explicatio versiculi hujus : *Gaudebo minùs, & minùs dolebo.*

Quosdam æquis, an iniquis Fatis damnatos, nec scire, nec posse, nec velle alijs *benefacere. Satyr.*

An liceat alteri lacrymas elicere risu. *Eutrapelia.*

*Bar-*

*Barbari tapetis* ex Turcia allati picturæ intextæ. imaginum horrenda monſtra; Europæis cæteris utique formidoloſa. *Conſideratio.* Item, de *Turcica papyro* ominoſa Diſſertatio.

*Duodecim fructus* Quinti Evangelij, *Panegyricus.*

*Comitia Vett. Poëtarum*, ad ipſorum genios ſtylóſque dignoſcendos excogitata. quo tempore quiſque advenerit; quo apparatu & pompa, & ſimilia apta præſenti propoſito. *Mimeſis hujus Expeditionis.* P.

Sicut & eorundem *convivium.* ubi deſcribuntur accubitus, ſitus, ordo, ferculorum ſeries. pocula, gula, appetitus, lepôres, facetiæ, dicta. P.

Quò item pertinent menſis remotis, illorum inſtituta *Naumachia*, *Piſcatio, venatio, aucupium*, *haſtiludia*, *jaculationes*, arcus & ſagittæ. omnia ſymbolicè, & ad ſcopum, *Opus miſcellaneum.* P.

Pluris ſe facere in *inſignibus* viſum vomerem aut ligonem, cum oculo tauri; quàm caudam payoninam cum facie vulpis: aut leporem in aurata galea ſedentem. *Sat.*

*Quid ſuperbis terra & cinis?* cur aliquot humani pulveris, etſi adhuc vivi, libræ tanti æſtimantur? id enim verò apparere ex pretioſis veſtibus, delicijs, titulis,

tulis, luxu, faſtu, ipſíſque epitaphijs. *Sat.*

Imperia pro conſilijs vendentem, pretium laboris iniquè poſcere. *Ode. Sat.*

Utri majore laude digniores, Bibliothecarum an armamentariorum conditores. *Diſceptatio.*

De Scypho Herculis & Alexandri M. *Diſſertatio.*

Quibus paſſibus notentur noſtra tempora, ad finem properantiùs labi. *Sat.*

P. Tam parùm volare poſſe Poëtam uno ſolóque ingenio; quàm parùm avis poteſt ſolo unius alæ remigio. *Demonſtratio.*

Fruſtra canis aſpergi caput, quamdiu *mens imberbis* manet. *Ode Satyrica.*

P. Abſque æmulis, belli pacíſque ſtudia languere: abſque Momis, Poëtas.

Non qui nunquam timuit; ſed qui timuit & vicit, eſſe fortiſſimum. *Ode.*

*Anaſtaſin corporum*, ſive *reſurrectionem carnis*, eſſe omnium Piorum, in adverſis, ſolatium. *Deductio.*

P. Sicut Medici venam tentant pollice, judicaturi de valetudine corporis; ſic æquè tentari poſſe *venam Poëticam* à formaturo judicium de habitudine ingenij, valetudine animi. *Ode.*

Adverſa linguæ ſpicula nihil potentiùs infringere, quàm oppoſitum thoracem laneum. ſecùs: non obſtatura ne quidem magico rigore munita pectora;

*Paſſa-*

Cur Veteres Inferis *pari numero*, Superis *impari* litare consueverint. *Dissertatio.*

Miserum esse, vigore juvenum destitui; & privilegijs senum non frui. *Ode.*

P. *Querela Satyrica.* Multos aversari Poësin: quomodo lascivi quidam criminantur mulieres, quarum tamen amoribus nemo magis, inhiet.

Potiùs dimitti Deũ, quàm amitti. *Ode.*

Aliquos, præ nimia stultitia, *non posse desipere in loco. Sat. vel Ode.*

Ad iracundiam pronos, plerumque etiam superbos esse. *Sat.*

Unicum dari *asinum Apuleij aureum;* nostro ævo ferreos plures, & forsitan præstantiores. *Sat.*

Semper fuisse Stylitas, olim sanctos in columnis stantes: nunc, quasi Sanctos, in aulis Principum. *Eutrapelia.*

Adversus unguentarios, abhorrentes à cæpis & allijs. *Sat.*

Ænigma de funebri *Sandapila*, membratim explicatum. *Deductio.*

Pulchris, an turpibus fæminis, *Larva* suadenda. *Dissertatio.*

An somniantis, *omnia somnia esse vana*, hoc ipsum somnium sit verum, an vanum. *Phantasia.*

Omne encomium laudati, in laudantem reflecti. *Ode.*

Qui-

Quinam, de die, in somnis ambulent. *Phantasia.*

*Nemesis Stuartina*: sive sanguis Mariæ Stuartæ, Reginæ Scotiæ in cœlum ex tumulo clamans, contra Elisabetham Reginam Angliæ, *Elegia, &c.*

Contra communem: *omnes homines ditiores mori, quàm nasci. Ode.*

Caducas res sub Luna omnes, nihil esse, nisi glaciem colore lucidam, lapsu lubricam, duratione fluxam, *Elegia. Ode,*

Multa dici, sed non demonstrari, ut: *Tempus præsens* cogitare Gallos, *Futurum* Hispanos, *Præteritum* Germanos. *Phantasia.*

Favente Phœbo, carmina & oracula ex *olla* quoque decidere. P.

*Argus oculatus* & *Gyges annulatus*, ambo Pastores, ad nostri seculi Politicos aspectus comparati. *Consideratio.*

An contra decorum & modestiæ leges peccent Poëtæ, saltem Christiani, qui in exordio aliísque intervallis, ficto impetu abrepti, artem, se suáque præsagia facundiùs jactare videntur. *Phantasia.* P.

*Facilem Poësin, difficilem esse.* Paradoxum. P.

*Fastidiosum Poëtam, & artis suæ osorem, esse optimum,* Paradoxum. P.

Silentium injustè accusati, muto dolore vindictam meditari. *Ode.*

Contra ſe reum peroranti, non opus eſſe Philippicis Ciceronis. *Ode.*

Morti laudabilem contumeliam facere, qui non reſiſtit. *Ode.*

*Speciosa Quæstio.* Mercibus peregrinis pretium, naturæ virtus, an cupiditas æſtimationis fecerit. *Sat.*

Regio cultu atque amore proſequendas eſſe Artes & Scientias: Qui tyranni more ſubigit illas, & quodammodo proprias ſibi facere conatur, dominatum exercens; odioſum reddi. *Sat.*

P. *Pegaſum* caballum non eſſe Bucephalum: hinc nec Alexandro M. ſtatim pariturum: multò minùs tauriformibus beſtiarijs; nedum Threſſis agaſonibus. *Sat.*

Aut hominem non eſſe, aut ſupra hominem, *qui nunquam veniam petivit. Demonſtratio.*

De Vigilantium ſomnijs. *Diſſertatio.*

Miratur aliquos eſſe, qui prudentiam à potentia non diſtinguant. *Ode. Sat.*

*Faſti Germani.* In hac Regione æquè annorum curſus diſtingui poſſe, ex ſuccedentium ſibi & redeuntium novarum veſtium perpetuâ varietate; ac Menſium lapſus dignoſcuntur ex conſtanti inconſtantia mutabilis Lunæ. Eandem plenam, fieri novam; novam, iterum plenam. hanc eſſe veſtimentorum volubilium reciprocationem. *Sat.*

Ver-

Verbum *deglubere*, ex Iudicum, Præsidum, Caussidicorum *Lexico* eradendum esse. *Sat.*

Non tantùm jam *quot capita, tot sententiæ*; sed ampliùs dici posse; *quot capita, tot sunt pilei*, eorúmque multiplices formæ. *Eutrapelia.*

An verum: *qui se honore cognoscunt dignos, hoc ipso dignitate excidere.* nisi distinxeris, falsum est. *Disquisitio.*

Defectum ingenij suppleturos fraudibus vel inamœnis astutijs, imperitè virilem infantiam macerare. *Satyra Satyrica.*

Meritò miserrimum videri, quem nemo dignatur invidiâ: illaudatum, cui & laudes nocent. *Ode. Sat.*

*Innocentes Pastorum Ludi*, oppositi nocentibus Politicis Aulicorum. *Deductio.*

*Querela Satyrica.* Euterpe atque Melpomene dolentes indignantur; calcatâ majestate Latij, Romanæque linguæ; Legibus item Vett. Comicis Tragicísque magnam partem abolitis, pleraque nunc theatra impleri sumptuosâ novitate, pretiosâ barbarie, oscitantibus cantilenis. P.

*Socci & Cothurni*, uter præstantior, sub arbitris Plauto & Senecâ, certamen pedestre; quinque congressibus permissis. *Dialogus.* P.

Calumniantem vitia, virtutis esse præconem. Gnome. *Ode.*

An Stoam & fimetum Cynicum redoleat, *nihil mirari*. *Dissertatio*.

In sepulchra dealbata. *Satyr.*

Fanum *Bonæ Deæ*; & Templum *Bonæ spei* apud molles Lutheranos idem esse. *Sat.*

Tria frenanda. equus, amor, ira. Cætera libertati permiseris. *Ode.*

P. *Satyrici carminis spiritum* apud Poëtas esse, quod apud Medicos est spiritus vitrioli, sal armeniacum; pulvis Hermeticus, aliáque Chymica.

P. An pulcherrima Oratio, sit pulcherrimo Poëmati præferenda. *Disceptatio.*

Plerosque homines cogitare primùm de ordine *Divinæ Providentiæ*, quando jam inciderunt in manus *Divinæ Iustitiæ*. *Demonstratio.*

An Reipublicæ prosit, *simplicitatem naturalem* potestate armari. *Problematicè.*

Quomodo demonstrari possit, *humilem rusticum, non tantùm meliorem, sed & beatiorem in hac vita esse superbo Philosopho.*

P. An Poëtarum factio sit lautè habenda? an avium more tantùm, ut certo tempore canat, *Dissertatio.*

Mirum! Homines voluptatem brutam amare, per quam brutis similes fiunt: cùm tamen animam suam, in ani-

mæ

mæ brutæ ſimilitudinem transſire nollent. Diſſertatio. *Ode aſcetica.*

Philoſophiam tradi, ut minuatur admiratio; Theologiam, ut augeatur. *Demonſtratio.*

*Lapidem Lydium*, quo verus Aulicus, Pictor, Politicus, Philoſophus, Mathematicus, Poëta probentur; inveniri in Murbonia. *Eutrapelia.* P.

Poëmata, quemadmodum divina oracula, eo ſpiritu legenda eſſe, quo ſcripta ſunt, alioqui nullum factura guſtum.

Nænia ſuper Tumulum ſynceritatis Germanicæ ululata.

Meliúſne ſit, ingenioſum eſſe & pauperem; quàm divitem & ſtupidum. *Sat.*

Adverſus eos, qui ſupra *concavum Lunæ* conantur aſcendere. *Satyra.*

*Franciſci Petrarchæ redivivi Dialogus*, pro Agathyrſo ſtans contra Antagathyrſum: *Apologia pro Macris adverſus Pingues.*

Mundus Deo contrarius: Quatuor Regum Libris ſacris, opponens alios *Quatuor Regum Libros profanos*, ſuis Luſoribus evolvendos: *Eutrapelia.*

Pluréſne dentur Philoſophi Peripatetici, an Stoici. *Diſceptatio.*

Explicatio ſequentis Diſtichi. *Quæ dantur fatuis æquè ac prudentibus, illa Vilia fortunæ quis neget eſſe bona?* *Sat.*

Quæ

Quæ servitus, libero & innocenti viro, accidat omnium miserrima.

P. *Ex filis*, quæ Musæ fabulantes noctu ad colum ducunt, posse etiam *regale paludamentum* confici.

P. *Quaritur*: num Juvenalis Satyricus, seculi nostri nequitiæ exagitandæ suffecisset. *Deductio.*

P. *Quaritur*: Pictores, Poëtas, Musicos, Mathematicos; paupertas an opulentia ad officium & gloriam magis exstimulent. *Inquisitio.*

Sapienter Plutarchum monuisse: *ad aulas Regum & Principum accedendum, tanquam ad ignem*: non nimis propè, ne uraris; nec nimis procul, ne frigeas. *Ode.*

Adversus qualescunque fortunæ suæ fabros fuligine Politicâ infectos: qui ne aulicæ calore flammæ lædantur, aliorum manibus, *velut forcipe*, utuntur: *Sat.*

P. Dulcem Satyram, esse *miseriam cum aceto. Ode.*

Secluso *scandali* periculo, vel *cancri serpentis* metu, Lutheranismi Epicuream factionem, cum Th. Moro prudendentiùs risu difflari, quàm argumentis oppugnari. *Demonstratio.*

Quæ sint illæ *arundines longa*, in quibus barbati pueri Horatiani equitant. *Satyra.*

Meial-

*Metallifodina Poëtarum*, pro cujuſque labore & venâ inventâ, fortunâ vel genio, apta diverſi generis metalla, aurum, argentum, ſtannum, vel ferrum, vel etiam plumbum, ex imis Parnaſſi cavernis eruentium. *Deductio.* P.

De malacia animi, inter humanarum rerum fluctus & inimicas tempeſtates conſervanda. *Exhortatio. Ode.*

Omnia ingenia certo gyro circumſcribere, eſt, nugari, & actum agere. *Deductio.*

Cur ſibi mites & benigni, plerumque alijs ſint duri & auſteri, ratio Politica, pluribus declarata. *Sat. Satyr.*

*Hippodromus Pegaſi* equus; an equites Poëtæ, in eo magis exerceantur. P.

Omnem protoplaſti Adami nepotem, ſaltem aliquem *vermiculum*, in Avi primo pomo momordiſſe. hoc eſt: *Quiſq; ſuos patimur Manes.* Virg. *Deductio Satyr.*

Fabellarum & næniarum Iudaicarum Centuria prima, aliquot ſuſpectis Iudaizantibus *ſub haſta*, in exemplum propoſita. *Satyr.*

Cur plerique à *Manlianis* imperijs abhorreant, *Indagatio.*

De *Crypta ſubterranea* poparum Chaldæorum, Sacerdotum Bel. Dan. 14. v. 12. *Diſſertatio.*

Adverſus nummularios Quæſtores, qui

qui *Vespasianum* patrem, quàm *Titum* filium refodere malunt. *Satyra.*

P. Cur cæteris omnibus positis, ingenio & diligentiâ; multi intra triennium, apicem Philosophiæ conscendant: alij intra idem spatium vix mediocris Poëtæ nomen assequantur.

*Hystrix.* sive Satyra aculeata in Frugiperdas: qui decolorant aquas, & vix spicam Cereris odoratas, statim à primo pallore pro Cerevisia vendunt: an Zythepsæ culpandi? inquiruntur causæ & discutiuntur. *Sat.*

Silentium, anceps signum esse: jam prudentiæ, jam modestiæ, jam superbæ ignorantiæ. *Sat.*

Quomodo fluctuantis animi conceptus, sint quidam quasi æstus maris. *Ode.*

Tigridem sævientem, felem blandientem, lupum ululantem, Poëtam desperantem meritò vitari. *Ode. Sat.*

Nullum veterum philosophorum, plures discipulos sequaces reliquisse; & ad usque nostra tempora continuare, quàm Diogenem in *Dolio* habitantem. Quot enim non habet sectarios! *Eutrapelia.*

Vitam nostram quodammodo musicam esse, per omnia ex arte probari potest: per scalam, notas, suspiria, concentum, & pausam. *Epicum, vel Elegia.*

P. Poëtastrorum summa libertas & felicitas,

citas, quòd Apollo, Principum cæterorum more, *Fiscum* habere dedignetur. quæ enim spolia non cò devolverentur *Satyr.*

Fallacias Politicorum, ſeſamo & ſaccaro inſperſas; nocenti acerbitate, fel draconum, & virus equarum, & ſpumam Cerberi ſuperare. *Sat.*

Infelicibus Ingenijs, ipſummet Ovidij Pegaſum fore *Equum Seiani*: auream Statij venam, *aurum Toloſanum. Demonſtrat.* P.

Qui omnem famam pueriliter metuunt, ſemetipſos tandem exhorreſcere. *Ode.*

Propriè dici: Catholicorum & Acatholicorum ſententias, *Toto cœlo eſſe diverſas. Demonſtratio.*

Miſericordes, auro prope Tartara effoſſo *cœlum* lucrari: Vanè glorioſos, virtutibus in cœlo natis, Tartara. *Epicum.*

Qualis dementiæ ſpecies ſit? quòd galli gallinacei; cùm hoſtiliter prælientur, vulture viſo utriuſque hoſte, à pugna ceſſent: Principes autem Chriſtiani, audito, Turcam omnium gentium latronem adversùm ire; ſævire pergant & in mutua vulnera ruere. *Epicum.*

Neminem unquam *Laurum* momordiſſe, quin & poſtea ſaltem odore foliorum ſæpiùs delectaretur, Mecœnas ſtudiorum factus. *Ode.* P.

Poëtaſtros poſſe quidem verſus ſcandere, ſed non honores & apicem Parnaſſi. P.

An

An, quod aliqui ambitiosè ſibi perſuadere conantur; defectus ingenij, ſit ſignum præſentioris judicij. *Diſquiſitio.*

Quomodo urgendo unam literam, perdamus ſæpe duas ſyllabas, & tres amicos. *Demonſtratio.*

Quippe ni hunc eſſe verè infamem, qui nec atomum bonæ famæ habet. *Sat.*

Crudeles contemptores aliorum, hoc ipſo convinci, eſſe immodicos æſtimatores ſui. *Ode.*

P. Variorum Poëmatum natura atque indoles ex analogia artis Muſicæ demonſtrata. quippe *Poëtam* & *Phonaſcum* iiſdem penè modis delectari, eodem artificio & humore circumagi.

P. Satyricum Poëtam eſſe ſcopum & ſcopulum. *Scopum*, in quem Momi collineant; *ſcopulum*, in quem caput impingant.

Pleroſque ſua vitia odiſſe in aliis. *Sat.*

Cur Bubalorum naribus *annulus* inſeratur. *Diſſertatio Politica.*

Quænam vina ad *aquam Zelotypia* proximè accedant. *Allegoria.*

Quæ illa ingenia ſint digna in Foro ſubhaſtari. *Diſquiſitio.*

*Homines ſumus*: hoc diverbium non tantùm ad humani corporis pedes (hoc eſt vulgus) ſed ſæpe magis ad ſumma capita (Dominos) pertinere. *Declaratio.*

Quædam

Quædam deleri posse, non tamen abscondi. *Allegoria.*

An æquè fatuum sit, cibos sapore conditos quærere, ac ligna cremanda coloribus pingere. quod quidam tamen sive Asceta, sive Stoicus putavit. *Disquisitio.*

An ex Ludo, quem *Scacchum* appellant, per varios & ancipites ductus, ac quasi insidias & strategemata, æquè deprehendi possint Poëtarum ingenia, affectus, mores; ac deprehensæ fuerunt ijsdem præliandi simulacris aliquorum belli ducum naturæ, animorúmque cupiditates, & impetus, modique belligerandi. P.

Quo artificio penetrari possit in Anatomiam arcanorum, quæ in corde superbi Hypocritæ latent. *Disquisitio.*

Rectè Thomam Morum Angliæ Cancellarium pronunciâsse: *Homines laboriosiùs Infernum, quàm cœlum petere.* Demonstratio.

Ex opibus Terræ Heliconiæ erutis, *salem Satyricum*, esse quasi inter metalla *argentum vivum*, venenum quidem, sed necessarium. Sicut enim absque *spiritu Mercurij*, non facilè neque affabrè argenteus calix inaurari potest: ita nullum Poëma (puta Toreuma, ex quo Apollo laticem Castalium bibat) duraturum ad posteros, si absque *spiritu Satyrico* confeceris. P.

Vinum, non esse lac senum, sed potiùs venenum. Paradoxum.

P. An verè dixerit Tullius: *vix singulis seculis bonum Poëtam esse inventū. Inquisit.*

Latratu canum Cervos ad cursum; naturas hominum hostiliter agitatas, ad pravas suspiciones cogi. *Ode.*

Emendicare laudem, est esurire infamiam. *Ode.*

Miseratur satyricè Germanos Populares suos; quòd neglectis Patriæ bonis, exterarum nationum quisquilias, & larvas sectentur, solius phantasiæ judicio pretiosiores. *Satyra.*

P. An prosit, Pegasum, cùm sit alipes, calcaribus urgere.

Eum, qui seipsum laudat, aut verecundiâ suâmet abuti, aut patientiâ auditorum. *Demonstratio.*

Absentem læsum, si calcar addas, ruere in vindictam, non currere. *Ode.*

P. Cur multi Poësin infeliciter auspicentur; infeliciùs finiant. *Demonstratio.*

An ex domo ædificata, colligi possit pernoscenda facies ædilis, quæ est animus. *Ode.*

*Soteria bibere,* esse contra soteria.

Obstinati silentiarij, an infrenes Locutuleij sint molestiores. *Problema.*

Hominem verè Microcosmum esse, anatomicè, per omnia. *Demonstratio.*

Ger-

Germanos, præ cæteris Nationibus, *bibere vinum, ut homines decet. Paradoxũ.*

Bene confici arma posse contra hostem, sed non contra metum. Gnome Henrici IV. Gall. Regis. *Ode.*

Seminare laudes immeritas, est spargere *entia rationis* in aëra. *Ode.*

Quare Amphibologias Apollo Poëtis suis interdixerit: *Inquisitio.* P.

Quî fiat, quòd, hoc seculo, etiam *Caci de coloribus judicent. Sat.*

*Arcana publica* Ergo proverbium, *sub Rosa*, exolevisse. *Sub spina*, substituendũ.

Invidos, nunquam ferias agere. *Ode.*

Plerosque homines adversis rebus minùs ægrotare, quàm secundis. *Ode. Elegia. Heroicum.*

Quia phantasiæ regimen est despoticũ. Quæritur, an nullo modo possit imminui.

Carmina ætatem latura, non tam maturari ab ingenijs, quàm annis. Quomodo dicimus, *Rosas non producere fruticem, sed tempus.* P.

Sponsæ facundiam pro dote accipere, non nisi fatui solent. *Sat. Ode.*

Detestabiles se facere, qui interiorem alterius statum expiscando, secreta in privatæ tantummodò delectationis gustum, turpi curiositate, convertunt. *Sat.*

*Diversi humores Poëtarum Vett.* per varia genera vinorum declarati. *Deductio.* P.

P. Epigrammatographis, ex ſingulari Apoll. privilegio, licere Caſtalium poculum *præparatâ glacie* miſcere; Aurelij Martialis exemplo. ne tamen delicatæ aures nimio ſtiriarum, quas acumina vocant, frigore lædantur & obrigeſcant; *caldâ* frequentiùs utendum.

*Rationem*, quam vocant *Statûs*, penè omnes Status evertiſſe. *Declaratio.*

Auctoris verſiculus, *Hominibus uti oportet, at Deo frui,* fuſiùs explicatus. *Sat.*

Exequiales pompas magnâ moderatione inſtituendas eſſe, ne victi triumphare velle videamur. *Sat.*

Horologium cordis, & oris indicem linguam, noſtro tempore, paſſim diſſonare. *Sat.*

Vitioſum, qui virtutem laudat, ſaltem non eſſe peſſimum. *Ode.*

De mendacijs phaleratis, gypſatis, incruſtatis. *Sat.*

P. An *ſpeculari*, & *phantaſiis indulgere*, apud Mathematicos & Poëtas ſit idem. *Diſquiſitio.*

P. Omne ingenium magnum, antequam defæcetur, ſpumare, quomodo generoſæ vitis muſtum. *Ode.*

Neminem magis ſubjici Deo, quàm Atheum. *Paradoxum.*

Troiam ſemel perijſſe per equum, jam totum orbem per aſinos perire. *Sat.*

Sæva

Sæva eloquentia eſt, licet inermis: Sed ſævior eſt *taciturnitas armata*. *Ode. Sat.*

Sine fronte frontem, partem humani vultûs eſſe latiſſimam. *Conſideratio.*

Diſſimulatam injuriam, quævis clauſtra perrumpere. *Ode.*

An quidam rectè cenſuerint, Cauſſidicorum officium, non eſſe niſi *opificium mercenarium*. *Diſquiſitio.*

Cur veteres *armiluſtrium* dixerint, non *Libriluſtrium*. *Diſquiſitio.*

Iubilæum Lutheranorum anno 17. celebratum, renovâſſe memoriam ſacrilegi tripudij Iſraëlitarum, circa *vitulum aureum* ſaltantium. *Demonſtratio.*

Comœdiarum & Tragœdiarum uſus atque abuſus, in quo conſiſtat. P.

Illum Poëtam optimum eſſe, qui avidum Lectorem torquet. *Paradoxum.* P.

Multos inſcitiam potiùs honorificè tegere, quàm veram ſcientiam demonſtrare. *Sat.*

Num maleficio, num faſcino tribuendum, quòd aliqui, licèt probè contuſi defeſſique, ab aula removeri vel non velint, vel non poſſint. *Diſſertatio.*

Examen aliquorum axiomatum ſuſpectorum, quibus tamen paſſim docti indoctique promiſcuè utuntur. *Demonſtratio.*

An sapiat Stoicismum hæc gnome: *Qui lædit lædentem, cæco insultat.*

P. Logogriphorum, Chronostichorum, Anagrammatum artifices, non habitare in ipso Parnasso, ut vulgus putat: sed extra, in casulis, ad radicem montis.

Quam amplitudinem patiatur dictum hoc. *Negatio Doni, est Donum DEI. Explanatio.*

An Temperantiæ præmio digni sint, quibus ultimâ ætate sobrijs, gula senilis occalluit. *Disquisitio.*

P. Recentiorum Poëtarum conventus, examen, trutina, senatus, Statuta, Canones.

P. *Statutum*: *Libro Ignorantium*, nomina eorum inserenda esse, qui dicunt, *spiritum Poëticum in sanguine habitare.*

P. *Statutum*: Ineptire illos Nanos, qui adolescentum ingenia, ad Lauream evehenda, non nisi siccis argutijs, & pusillorum epigrammatū crepundijs fatigant potiùs, quàm exercent. Non omnes in hoc consenserunt. volebant problematicè proponi.

P. *Statutum*: Formulam, *mutatis mutandis*, non ad sublimes Poëtarum curas, sed ad triviales scribas, & Leguleios Testamentarios pertinere.

P. *Statutum*: ut ne quis posthac ad Comitia

mitia citatus in *centone* comparere ausit.

*Statutum*: Iuvenum ingenijs Poësi initiandis; ac postea viris majore spiritu imbuendis, offerenda, & verò etiam exquirenda esse themata salebrosa, aspera, paradoxa: quorum usu, stylos velut ad cotem exacuant: donec, rubigine detersâ, instar attriti vomeris splendescant, ad omnia habiles.

Quid de *Poëtis Laureatis* sentiendum sit; (sicut & multa alia,) dilatum in aliud tempus. P.

Quemadmodum & hoc: an liquidum illud vulgi Proverbium; *cantores amant humores*, etiam ad Poëtas pertineat. P.

Item: Auribus, non oculis canendum esse. Carminum libros pumice radi, auro vestiri, radijs incingi, tunicâ polymitâ donari, in nitela typi præfulgentes incedere: divitias has omnes, & qualescunque illecebras fortunæ potiùs, quàm ingenio imputari. Cæterùm talia nec nimis anxiè inquirenda esse, nec omninò contemnenda. P.

*Enthusiasmos Poëticos*, non hauriri in somnis, nec ex amphora Anabaptistica, tumultu nocturno infundi. placidiùs illabi, rapidiùs effundi. P.

*Quæritur*: plurium peregrinarum linguarum scientia, sive Chaos, exacuátne

ingenium, ac roboret; an potiùs hebetet, ac confundat. *Dissertatio.*

Contra Thrasones. multos gloriari, quòd ab equo pulchro portentur: justiùs gloriaturos, *si ipsi equum portare possent. Eutrapelia.*

Aliquos sapere violentiùs, aliquos prudentiùs. *Ode.*

Capita vacua scientijs, sæpe tantò pleniora esse fallacijs. *Consideratio.*

Cadaverosam faciem in terram declinantibus, non tam famæ ambitũ, quàm sepulchri angulum quærendum esse *Ode.*

Collyrium pro bubonibus Lutheranis, in Meridie Rom. Fidei cæcutientibus. *Sat.*

Pietas, an Crudelitas, tormenta bellica ex ære fusa invenerit. *Problematicè.*

Miratur Auctor olim, fumos venditantem, *fumo ignis* fuisse punitum: nostro ævo *fumo honoris* pasci. *Sat.*

*Scholam Patientiæ* pluribus Privilegijs gaudere, quàm omnes Academias in Germania.

P. Cur nulli Poëtæ, etiam confesso, ignoscatur. *Indagatio.*

Plerasque magnarum inventionum machinas, speculando in summum fastigium evectas, cùm ad rem venitur, reddi infectas. *Demonstratio.*

Ad cæcam Fortunam referendum esse, quòd

quòd aliquorum labores injuriosè plectantur: aliorum otiosi errores coronentur. *Sat.*

Sæpiùs iratum sibi, etiam in alios tandem excandescere. *Ode.*

An illi Satrapæ in Aulis dicendi sint idololatræ, qui colunt *simulacra purpurata*; quæ pedes habent, & non ambulant; manus habent, & non palpant; oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt. *Consideratio.*

Multa furta Poëtarum, licet parva, nullo tamen legitimæ imitationis titulo convestita; si densiùs se cumulaverint; tandem etiam restim posse mereri. *Quæritur,* an ex Lauro suspendendi sint. *Problematicè.* P.

Videri, satis certam posse sumi conjecturam de animo scriptoris, ex idea scriptionis.

*Palinodia.* Hac conjecturâ nihil esse incertius: & eos, qui certam putant, desipere. *Dissertatio.*

Gratis *Actæones fabulosos* produci: quandò re ipsâ homines in bruta degenerantes, veriùs à propriis cupiditatibus, canino morsu lacerari videamus. *Demonstratio.*

Non esse virtutem, pro re vili supplicare. *Ode.*

Præcocem Poësin, in pappos & lolia abire. P.

Antiquissimam adeoque nobilissimam esse *rusticorum* familiam: contra quævis *Canonicorum* stemmata certaturam. *Demonstratio.*

P. Regnum Vett. Poëtarum, ab auctore ad Festum Epiphaniæ, recepto more institutum, Monachij Ann. 27. quale fuerit.

Etiam in aviculis notari, quò minores, eò iracundiores esse. *Ode.*

*Vitis* & *Lupuli* jactantium vires suas, *Apologus.*

Effigies quorundam vitiorum, penicillo satyrico ductæ.

Cùm multi dementes reperiantur sine mixtura magni ingenij: an rectè pronuntiârit Aristoteles; *Nullum esse magnum ingenium sine mixtura dementiæ.*

Verè dixisse Picum Mirandulam: *summam voluptatem esse, voluptatem vincere. Ode.*

P. Adversus Mangones, plagiarios, alienorum Carminum raptores vel incubatores, Satyra, *Cuculus*, inscripta.

Placere cunctis velle, esse speciem dementiæ. *Ode.*

An rationis ductum sequendo, errare in scientijs, sit laudabilius; quàm instar Andabatæ procurrentem, *casu tangere veritatem. Inquisitio.*

Li-

Libenter imperantem, meliorem esse invito. Paradoxum. *Ode.*

*Bicipitem Parnassum* probari, sed non Rempublicam. *Ode.*

Optimos esse Medicos, qui *funesti* sunt. Paradoxum.

*Cæcos, surdos, mutos, chiragricos, paralyticos, &c.* ad splendida illustrium aularum munia obeunda, præcipuè aptos esse. Paradoxum.

Deum, dando accipere, & accipiendo dare: multos homines, ne quidem dando, dare. *Demonstratio.*

An levitas Cupiditatis, in ambitioso, sursum tendente, gravitatem lapsûs æquet. *Inquisitio.*

Quale genus hominum vento potissimùm pascatur, & fumo: & tamen *tabacum* non bibat. *Disquisitio.*

An muscas habuisse censendus sit Asceta quidam, pronuncians: *Qui vel unam muscam diligit in hoc mundo; totum mundum diligat, necesse est.*

Bustum literarum obscœnos amores spirantium, præter omnem exspectationem fragrantissimum. *Paradoxum.*

Risum Sardonicum, aut indicare luctum præsentem, aut instantem prædicere. *Ode.*

In magnis urbibus fuisse, non magnū est, sed magnum fuisse, majus est. *Ode.*

P. Non nasci Poëtas, sicut apes artifices, quæ statim mellificant.

P. *Aurorã Musis inimicam esse.* Paradoxũ.

Nihil concupiscere, esse absurdum. Paradoxum.

*Laus exterorum Musicorum*, qui volentes Germanos suavissimè decipiant, & opes emulgeant. *Volentibus non fieri injuriam. Consideratio.*

Bonum Medicum, esse etiam bonum Iurisconsultum. Nam reddere ægris jus suum, & tendere ad æquitatem: *Temperamentum humorum.*

Cur ex longinquo, aut ab exequijs aliquorum veneratio primùm intendatur; aliorum remissior fiat, & prorsus evanescat. *Consideratio.*

Ridendi magis, an miserandi sint curiosi indagatores *Quadraturæ circuli. Problema.*

Quando spiritus Superbiæ simplicitatem ducit in conjugem; plerumque ex tali matrimonio nasci prolem fatuam. *Experientia deducta.*

Fungorum, Peponum, Cucumerum de primatu certamen. *Allegoria Eutrapelica.*

Silvarum Libri IX. Odæ VII. *Pythagoras Politicus* inscriptæ clarior & fusior *Deductio.*

Io: Geileri à Keisersperg *famosissimam Navim*, ut perhibent, qui viderunt, in littore

littore *Maris Mediterranei* stare, quassatam & laceram. pro reficienda, si quidem necessariam capacitatem tot hujus ævi sapientibus accipiundis inducere velimus, non sufficturam omnem materiam Hercyniæ, Bohemicæque silvæ excisam. tanto alveo opus. *Eutrapelia Satyr.*

Ad castos, sed avaros. Meritò S. Chrysostomum de *Quinque fatuis Virginibus* argumentum urgere hoc modo. Cur Virgines fatuæ non vocentur illæ animæ? quas luxuria non fregit, subegit autem avaritia. cùm tamen cupiditas corporum sit multò violentior cupiditate nummorum. itaque stultissimum videri, majore hoste devicto, minori succumbere. *Sat.*

Optandum esse, ut *Trompeta Marina* (quale quale Musicum instrumentũ) per omnes Imperij Rom. fines resonet. *Vnam Fidem* prævalere cæteris: beneficio unius chordæ multorum *concordiam* animari.

*Alchymistarum* nostratium genius, mores, facundia, fornaces, promissa, verba, fumus, *vapor. Sat.*

*Apologia* accusatæ Fortunæ, adversus ingratos mortales.

Uter ex duobus subjectis versibus melior?

*Impunè hoc faciant! Nos non impunè loquemur.*

*Impunè hoc faciant! Nos non impunè loquemur!*

*Bacchanalia vitiorum*, sub larvâ virtutum speciosâ, vultûs nequitiam velantia verbo: *passim vitia pro virtutibus obtrudi. Satyra.*

Illum æstimari Consulem, non qui ornatur ab officio, sed qui seipso ornat Consulatum suum. *Panegyricus. Ode. Sat.*

P. *Messem Poëtarum* non quovis seculo, nedum anno, ejusdem fertilitatis ac bonitatis esse. nunc auream, nunc utcunque opimam; sæpe nullam provenire. examinantur causæ. hinc multos Poëtas, nostro ævo, quod tamen fœcundum creditur, fame perituros, *nisi falcem in alienam messem mitterent. Sat.*

De *Ovo Christophori Columbi* Dissertatio Ethico politica.

*Epitaphium Diaboli*, quale formari posset. Diversa paradigmata.

An verum sit, & quomodo probetur; *Pauperes mori ingluvie & divites fame, Clericos frigore. Declaratio.*

*Lusum chartarum*, scholam sapientiæ, & veram Philosophiam esse, Paradoxum.

Inventa ex amore & placendi cupidine: item ex odio & vindicandi libidine, mirabilia. *Catalogus.*

*Lessus*

*Lessus* quinque fatuarum Virginum: Cantu duro. *Ode.*

In *Calamum Demosthenis*, ex quo asservatum venenum suxit. *Philippica. Ode.*

Prudenter illos facere, qui *Genealogias suas* à pluribus seculis non arcessunt. *Ode. Sat.*

Multas Leges videri texta, *sive retia aranearum*, quibus minores muscæ facillimè implicantur; majores autem nullo negotio perrumpant. *Ode. Sat.*

Cur Potentiorum & Divitum effigies ante mortem plerumque pingantur: Eruditorum & in primis Sanctorum post Fata primùm. *Consideratio.*

Nullam Comœdiam veriùs exhiberi aut spectari, quàm in Funeribus: in primis viduæ divitis, & exosi senis. *Consideratio.*

Quæritur: sævissima animalia in silvis, an in urbibus dentur. Dubitatur. *Sat.*

Illum tristissimè in aulis Principum degere, de quo nec bonum, nec malum auditur. *Ode.*

Si sacra Matrimonii septa in *Labyrinthum* conversa sunt; non ostendi alium exitum, nisi quem *Parca Ariadne* filo, non ducto, sed *abscisso*, patefecerit. *Ode.*

*Anatomia* damnatorum Holofernis & Amanis, ad divinæ Iustitiæ lancem exacta. juxta illud: *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Apoc. 18. v 7.

An Deus, qui conjunxit virum & fœminam, censendus sit etiam sanxisse *voluptatis & doloris concubitum.* *Ode.* *Dissertatio.*

Si *Mundus Dei canticum est* ex S. Augustino, an cœlum non nisi boni Musici obtineant. affirmatur. *Encomium.*

P. Non esse suadendum Epigrammatographis nostris, ut in navigium Hollandorum recepti, *novam Zemblam* petant, glacialem Oceanum talibus nusquam procul esse.

Prodigium Sæpe ranis, sanguine, lapidibus pluisse. Laneum sive *pelliceum imbrem,* non nisi semel in hyeme, quantùm ex annalibus sciri potest, de cœlo comico decidisse. an boni ominis? *Disquisitio Eutrapelica,*

P. *Poëtas fieri, Oratores nasci.* Paradoxũ.

Plures in cratere, quàm phaselo, naufragium fecisse. *Demonstratio.*

*Emblema*, Mundus bardocucullatus, quid significet. *Sat*

Quare Veteres *Polentam* appellârint cibum Philosophicum. *Inquisitio Eutrapelica.*

*Satyra mulierum, contra viros*: opposita Satyræ Iuvenalis sextæ.

Virorum apologia. *Sat. contra Satyram.*

Post utramque partem auditam, Iudicialis sententia videtur *Transactionem* suadere. *Eutrapelia.*

*Encomium Christophori Columbi*, Christum per maria in Novum Orbem ferentis. quo facto nominis sui omen implevit. *Ode.*

*Relatio.* In Machiavelli & hujus seculi Pseudopoliticorum Apotheca, quæ & qualia, sive simplicia, sive composita ex varijs technis pharmaca reperta sint, & in dies nova reperiantur. Horum index. *Sat.*

Aliquos senes nihil cygnæum habere præter albedinem. plumarum, mentum & caput velantium. *Admiratio Satyrica.*

An, sicut omnes superbi stultescunt, etiam omnes stulti superbiant. *Declarat.*

*Plausus comicus*, quale proverbium. P.

An *Mimesis* sit ex præcipuis partibus Poësios.

De Publicanis & Pharisæis Neotericis. Lib. unus. *Sat.*

Speculum Veneris causticum, sive incendiarium, ex qua materia? *Inquisitio.*

De ungula Pegasi. *Dissertatio.* P.

Sit licet acerrimum boni viri judi-

cium, præjudicium mali viri ſemper fo-re acrius. *Conſideratio.*

P. *Horologium Poëticum* etiam requirere ſua pondera, rotas, dentes, aptos nexus; & ante omnia *primum mobile*, (phantaſiæ) quod *inquies* dicitur. Nec non ſæpiùs & oleum Currere Pieriam quam cupis, unge rotam. *Conſideratio Eutrapel.*

*Adverſus immodicos Generis ſui oſtentatores.* Rariùs audimus, atria nobilium, in ſacraria verti; fumoſas imagines in ara poni: ex ceris majorum, lumina accendi. *Sat.*

An ſit verum: quò gravior eſt Perſona Magiſtratum gerens, eò levius reddi onus officij. *Grammatici certant, &c. Eutrapelia.*

Dicant itidem verboſi Grammatici. Utrum optabilius, ſecurum & placidum *Matrimonium*, an opulentum *Patrimonium*. Quippe litem hanc in verbis latere. *Eutrapelia.*

Dari adhuc, in Religioſis familijs, laudatiſſimos *Cyclopas*, & *Centauros*. *Explicatio.*

Poſthuma opera ſint vel optima, vel nulla. imò optima, quæ nulla. *Diſtinguendum.*

*Charontis* inferni Portitoris, in fatiſcente cymba, Lamentatio. Anno, ut ſupra. *Eutrapelia.*

Ad

Ad Legatos & Pararios, præsidentes cuniculosis astutijs suis, Explicatio versiculi 4. ex Psalmo 2. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Par pari. *Sat.*

Adversus eos, qui se laborare memoriâ simulant, ut saltem tantò majore prudentiâ præditi habeantur; persuasuri alijs, Naturam, damnum vel jacturam unius, supplemento alterius compensare. *Sat.*

Suspectæ fidei amicum esse, cujus suavis est absentia. *Ode.*

Plúsne commodi an damni, *officina Typographica* orbi invexerit. *Problematicè.*

Quare Nuptijs assignetur breve Epithalamium, longum verò Epitaphium. *Ode. Sat.*

*Democritus* semper ridens, *Heraclitus* assiduò plorans, sitne fabula an historia, uter sapientior, vel stultior? utrùm hæc tempora reduces poscant.

*Fluvij Germaniæ*, Oceano Patri, rerum *fluxarum* rationem reddere jubentur: cui præterea, quid agatur in Germania, *undulata* oratione *fusissimè* Danubius exponit.

Multos honestiùs *Taceri* posse, quàm Laudari. unde miratur Auctor stultitiam Præconum quinti Evangelij, cuivis defuncto *mercenarias laudes* vendentium.

non ſine manifeſto periculo ſeſquipedalium mendaciorum. *Panegyricus.*

P. Dari *balſamum ſulphuris Satyrici*, arte Pieriâ confectum; quale, ſi ſumas, illicò totam mentem percurrit, omnéſque redolens imbuit ſinus ac venas: plúſque una efficit gutta, quàm integra ampulla aquæ roſaceæ, ex odoriferis verſiculis diſtillatæ, plena.

Omninò cupienti ſeipſum vel alium noſcere, *omnia priùs ornamenta fortunæ removenda eſſe:* Genus, honores, clientelas, favores, divitias, ſatellitium; cæteráſque humanarum mentium imaginarias pompas. *Satyra Stoica.*

*Mors ultima linea rerum.* Falſum. Mors longæ lineæ ultimum punctum eſt. *Ode. Sat.*

Unam *togatam fraudem*, ſceleratiorem eſſe centum ſagatis. *Sat.*

De *Capite Meduſæ* Diſſertatio Mythologica.

*Vitijs iraſci*, non eſſe contra tranquillitatem & indolentiam Stoicorum. *Ode.*

Si utraque bona eſt, *Aſiatica* & *Laconica* Oratio: id eſt, prolixa & brevis; utra ſit melior: diſceptari poteſt. Sed iterum quæritur: Aſiaticè an Laconicè diſceptandum ſit. *Problema Eutrapel.*

IXC. rationes, quare nummi argentei ſint

ſint *rotundæ* & non quadratæ figuræ. Quamvis hoc perverſo ſeculo, ſæpe tam lentè volvantur ab uno loco in alium, quàm ægrè circumageretur currus, trabibus contra formam rotæ quadratis ſubſiſtens. *Sat.*

De Iul. Cæſaris *aleâ*, ad Rubiconis amnem, *jactâ*, Diſſertatio aſcetico-politica.

In Puellam, quæ præ nimia ſaltandi libidine, dum noctem continuat, tandem in ipſis choreis feſſa, ac toto corpore reſoluta procubuit: repentè in ipſo veſtigio extincta. *Sat. Eutrapel.*

Sapientior, an ſtultior fuerit Salomon. *Problema.*

An ex uſu tabaci, homines, ut quidam volunt, fiant naſutiores, acutiores, ſagaciores.

Viros, ſi quos invaſerit *pica*, prægnantium fœminarum morbus, omnium mulierum cupiditates ſuperare. *Demonſtratio.*

De uncia mellis, & congio fellis. *Diſſertatio Ethico-aſcetica.*

Quæritur: ex quibus herbis & radicibus vel olivis conficiatur illud *Ceroma* famoſum, quod vocant Aonium, quo inunguntur Poëtæ ad luctam. P.

Papinij Statij immanes *Caſtus* cum Cl. Claudiano congreſſuri. *Contra duella. Sat.* P.

Facilè

Facile esse apud Lutheranos, *ignem Purgatorium* auferre ex oculis, ad hoc provocantur, ut & *infernum* auferant. Quis enim Catholicorum veros Hæreticos ad ignem purgatorium damnat? *Consideratio.*

Hymenæum, Musicæ artis peritissimum, omnibus fermè nuptijs utrumque cantum *Mollem* & *Durum* occinere.

In *Oceano Principum æstuante,* purpuratos proceres veras tempestates experiri: Cœlum sudum, amœnum, turbidum, crassum. micant *fulgura:* fremunt *tonitrua:* & tandem *fulmina,* illud intempestivius, *quod fulmina sæpe ante fulgura.* Dissertatio Politica.

Pulchras etiam excitari posse cogitationes, & in primis literato viro dignas, de capite apri in mensam illato. *Ode Eutrapelica.*

De *Stillicidijs.* Num periculosiora decidant per tegulas, an per phialas: in domum, an in stomachum. *Eutrapel.*

Dictum Catharinæ Arragoniæ, cùm repudiaretur ab Henrico VIII. Angliæ Rege *Infelicibus Consolationem rarò deesse* astruitur. *Ode.*

Iucundiùs lusisse Deum cum *Genesio Mimo,* quàm hunc cum Deo. *Ode Eutrap.*

Hypocritarum fatua navigatio in Regnum Utopiæ. *Explicatio.*

*Molæ*

*Mola asinaria* jumentorum, splendidè diu, noctúque servientium. *Demonstratio.*

*Amphion Cœlestis.* Christus suavissimè invitans Homines Davidico Psalterio, (in Germanicam Paraphrasin ingeniosè traducto Augustæ An. 1659.) nimirum *ut ædificentur muri Ierusalem*; ex accurrentibus ad Lyram *viris & electis lapidibus.* Sint Thebæ, fabula: at Ierusalem, fabula non est. *Ode.*

*IX. Documenta,* quæ erudiendo pueros, summis viris reliquit *Dionysius* Siciliæ tyrannus, ex Rege Ludimagister factus, ferulâ sceptróque clarissimus, exemplar magnarum virtutum, & vitiorum. Instructio Christiana. *Ode.*

*De* secreto conclavi exiguo Fl. Domitiani Cæsaris, quod *Mica* appellabatur. *Dissertatio Architectonico-politica.*

Inauspicatè dolendum esse, quòd hoc tempore, multorum sermones eo modo intelligi debeant, quo scriptura Hebræorum legi.

Olim quidem morem *Candidatorum* Romæ fuisse, ut ad Consulatum aspirantes prensarent suffragia Civium. Hunc autem ritum dedecere Poëtas, Laurum ambientes: quippe suffragia quantumvis faventium Patronorum, nullum Poëma malum, ad fasces & lauream attollent, P.

stabili

ſtabili virore duraturam: nullum Poëma bonum, etſi maligno rancore, invidiâ vel calumniâ faſcinatum penitùs peſſum dabunt. *Oraculum*.

Syncerum argentum aurúmque ad *lapidem lydium* probari poſſe: non item ſynceritatis humanæ metallum. *Ode*.

*Morbi Germaniæ Politici* in certas Praxes, ſive Claſſes, digeſti. *Enumeratio*.

Dei Pharetram nunquam exhauriri telis, quæ exacuit ut fulgur. *Ode*.

An fervor ambitioſi, rectè flagranti tedæ, vel fumo Tabaci comparetur. *Examinatio*.

P. Poëtis navigantibus, ventum ſolertiſſimè obſervandum eſſe. Quis potior? *Auſter* præferendus Euro. *Cauſa*.

Heredes ludere cum mortuis, ſicut hoſpites cum vitris: fruſta per feneſtras; cadavera per portas ejiciuntur. *Ode*.

Utique meliorem eſſe conſcientiam ſine ſcientia, quàm ſcientiam ſine conſcientia. Hiſteron Proteron hujus ſeculi. *Sat*.

P. Sententia Platonis explicata Dial. 2. de Republ. *Res ſacra Poëta eſt; neque canere priùs poteſt, quàm Deo plenus*.

Argumentum ad homines. Sit ita, dicat aliquis. nil credam, niſi quod ſcriptum eſt: ideò certè non credam, Præcones Lutheranos ſapere. Quia nil invenio,

venio, ſcriptum de eo. Imò, quia proſcripſerunt è numero Canon. Voluminum, Librum Sapientiæ; quis non videt deſipere? *Deductio.*

*Exercitatio Poëtica.* Statua marmorea, Guttæ aquæ tenuitatem exprobrans: ſed hæc cum ſuis ſororibus *coloſſum* excavando vincens. *Allegoria Satyrica.* P.

Nullam veritatem ab altera ſuperari. *Quia verum vero non contradicit* Cùm tamen perfidia ſæpe ab altera occultiore perfidia, neceſſitas à neceſſitate vincatur. nimirum ut carnifex nonnunquam à carnifice occiditur: Dæmones à Dæmonibus torquentur. *Diſſertatio.*

Ab omnibus reprehendi *Machiavellum.* eundem tamen tot habere propemodum imitatores, quot contemptores. *Satyra.*

Miſceri à pictoribus niveos, purpureos, praſinos, janthinos colores: nullum tamen eminentiorem eſſe, quàm colorem modeſtiæ. *Ode.*

S. Iobum *æſtimâſſe ſapientiam ſupra aurum*: jam infra argentum, ſæpe & plumbum æſtimari profundiſſimè. *Satyra.*

*Ad multos annos.* Vota hominum inepta, longinqui itineris moleſtias adprecantium: terminum viæ remotiſſimum, & finem laborum, plùs quàm ſorum.

V. Considerationes patheticæ super clausula Rhythmi, quem B. Iacoponus composuit de vanitate mundi: *in ictu oculi clauduntur omnia.* Accommodantur nuptijs.

Quoad *Fidem* quidem, minui mundum: *amore* tamen, adhuc semper crescere. Id, quod continuatæ nuptiæ fœcundissimè demonstrant. *Lamentatio.*

Quibus argumentis probetur, *hominem esse animal difficile. Sat.*

Astutiam ad veram prudentiam habere se, *sicut vitrea moneta ad auream.* Utraque rotunda, tinniens, micans. Sed altera levi jactu tandem dissilit, & proditur: altera etiam in ignem projecta perdurat, & probatur. *Sic apprehenduntur Sapientes in astutia eorum.* Job. 5. *Sapientia autem non adæquabitur vitrum.* Job. 28. *Dissertatio.*

Cur Prosperitas rarò canescat. *Indagatio.*

*Calamo Pastorio* (sive fistula) nihil jucundius: *calamo in telum directo*, nihil acutius: *calamo militari ignivomo* nihil horribilius: cæterùm *calamo anserino* (quo epistolæ exarantur) nihil esse melius aut peius; celerius & tardius; clementius & atrocius; sapientius & stultius. *Dissertatio.*

Poli-

Politico Hominis, vanitatis & aulæ mancipio, omne qualecunque speculum severiùs nitidum, nec omnino statim suaderi posse usurpandum, nec dissuaderi. *Causa*.

Amoris ex multa congerie & fuligine terrestris, *Chymico* tamen igne eliquati, mirabilis partus. *Ode*.

Cœli ridentis faciem, & Regis sereni vultum, multa habere communia. *Ode*.

Monendos esse ante omnia juvenes in *Hippodromo Poëtarum* exercendos, ut Pegasum antè, *non retrò* ad caudam frenent. *Ne spissa risum tollant impunè corona.* Horatius.

Mortis, in scena, gloriosum militem agentis, magnifica & ridicula jactatio. *Carmen Epicum. Ode*.

*Abominatio Desolationis*. Hoc ævo, *Barbarismum aulicum*, judicari absurdiorem pœnisque digniorem *Solœcismo Christiano. Satyra*.

Satrapis in aula Regum degentibus, magisne metuendũ cavendúmq; sit solstitium hyemale, quod fit in Tropico Capricorni; an æstivum in Tropico Cancri.

De Catone. *At post Thessalicas clades jam pectore toto Pompeianus erat.* Versus Lucani explicatus. *Sat*.

P. Adu-

Adulatorum lingua, siquidem de canibus, ut perhibent, multum traxerit; frequentiùs *mordeat*, *an mulceat*. *Quæstio.*

*Heic situs est:* Phrasin Libitinæ sacram, sed supervacaneam, posse ex omnibus monumentis deleri, absque piaculo; nullum enim hominem sub cespite qualicunque situm esse. *Ode. Sat. Eleg.*

De Dote & Lite uxoria, ambiguum certamen. *Ode. Sat.*

*Iris rorans*, & *Ira spumans*, quàm diversas tempestates excitent! *Ode.*

*Contraria.* Sancti amoris ignem, parturire lacrymas (aquam) & lacrymas refundere amorem, qui est ignis. *Ode. Elegia.*

*Flebilis risus.* Ex mille æruscatoribus, & sordidis Euclionibus, vix unum dari, cui contingat opibus malè partis frui. *Satyra.*

*Microscopiorum* hoc tempore, ut autumant aliqui, recens inventorum vanam esse jactantiam. Quid enim hoc? Augustæ apud artificem WISELIUM *pulicem ostendi æquantem magnitudinem crabronis?* jam ante plura secula, nõ tantis impensis, ex vitris bibentium, apparuisse sæpe *muscam instar elephanti*. *Eutrapelia.*

Omnibus fermè legibus ultimam, & palma-

mariam deeſſe, præcedentium cuſtodem: quæ incipit ab hoc titulo: *ſervari. Ode. Sat.*

Quæſtio eſt: an honorificè appellari poſſit Metus *Lictor Legum. Diſſertatio.* P.

An Cl. Claudianus Poëta abſolvi debeat ab infami adulationis flagitio, quando cecinit: *Ipſe metus te noſter amat.* Poëtæ malè ſibi conſcij connivent: Areopagitæ rigidiores condemnarent. *Deduct.*

Poëtæ, in gratiam magni Herois, varia ſpectacula in vertice Cyrrhæ, ediderunt. Quæ, quota, qualia? *ingenioſa* placuêre præ ſumptuoſis. *Documenta.* P.

An, ut quidam ſenſit, in Inſula Taprobane, dentur *ſciuri alati.* Scimus leonem alatum dari Venetijs: & aquilam bicipitem in Imperio Romano. Sed nimirum hæc myſteria ſunt.

Certamen *Floræ,* provocantis Salomonem, ad æquandam Majeſtatem unius lilij. *Dialogus. Ode.*

Theatrorum in Europa Tragicorum Enumeratio, & Deſcriptio.

Adulator placiturus, an mulier pellex, pluribus pigmentis utatur. *Sat.* P.

*Occidimur rebus bonis*: Thema Satyricum.

Inter Quercum Jovi, & Laurum Apollini ſacram, de primatu concertatio. *Apologus.*

*Duellantium insania* Satyricè explosa.

*Ignes festivi* à Poëtis (quovis ante suam
P. domum) excitati, in honorem Augustissimi Cæsaris Leopoldi I.

*Beata Solitudo*, sola Beatitudo: an hoc anagramma justum sit; consonúmque veritati, problematicè inquiritur.

*Pampinatio vinearum* in Helicone à
P. Vett. Poëtis instituta.

*Vmbra hederæ* gaudium Prophetæ Ionæ: symbolum vanitatis. *Ode.*

*Ligonis & Sceptri*, Peræ pastoralis & regalis purpuræ; hoc est vitæ publicæ & privatæ prærogativæ inter se comparatæ, suísque rationum momentis expensæ. *Epicum. Sat. Ode. Eleg.*

*Poëtica Tempestates*: earúmque pro-
P. gnostica.

Adriani Cæsaris, & Epicteti Philosophi, de utraque fortuna, vitâ & morte hominis, *Dialogus.*

P. *Ludi Saturnalitij* Poëtastrorũ detecti, quibus sub larva Vett. Poëtarũ personati, superbiùs, quàm par est, incedere solent.

*Crudelium Tyrannorum*, quorum sævitiam invicti Martyres Christi patiendo fatigaverunt, post inanem operam, exhaustámque ingenij & tormentorum pharetram, *furiosa lamentatio*, Satyricè exagitata.

Cur *primus* dies Aprilis famosus. Eu-
Ma
*trapelia.*

Mandata Cæsarea scribenda esse pennis *Aquilinis*; Placita *Olorinis*. Explicatio.

Quem crediturum, in Calendarijs vili pretio distrahendis contineri ac vendi veritatem tam raram, summóque pretio stantem! *Sat.*

Non paucas quidem in Europa fortassis inveniri Virgines pulchras: sed *Pulcheriam vix* unam. *Sat.*

Copernici Mathematici sectam jam nec stare, nec currere posse. Superest sedere, vel *jacere*. *Eutrapelia.*

Dæmon Proteus multiformis. *Demonstratio.*

Unde Metamorphoses tot hominum prodigiosæ. *Relatio.*

*Pomum Eridis*, germen inimicitiarum, esse fructum arboris illius mali, quod gustans Adamus, omnium Nepotum dentes obstupefecit. *Demonstratio.*

*Ludum Anseris*, ut vocant, explicatum ea ratione, qua par est, omnibus suaderi posse, tanquam sanctissimum. *Allegoria.*

Quomodo *Sapientia Divina ludat in orbe terrarum*. *Demonstratio.*

Non demendum esse Poëtis, & maximè Satyricis, *aculeum*: alioqui tam parùm mellificaturos, quàm apes exsectas.

*Phantasiam* esse quodammodo alterã Arachnem, Quartam Parcam. Semper te-

xere, & nere; vel fila vitæ, vel funebre linteum. *Eutrapelia.*

Illos esse peiores Iudæis, qui pecuniam, præputia non habentem, circumcidunt. *Sat.*

*Thesis.* Nullum adhuc, quantivis ingenij Apicium, lautum, prodigum, & gulosum, sapidiorem cibum excogitâsse, supra delicias *Panis. Ode. Sat.*

*Thesis altera.* Omnes tyrannos, Neronem, Domitianum, Decium, Diocletianum, &c. simul sumptos exaggeratissimâ consultatione adhibitâ, per omnem ingeniosæ nequitiæ insaniam, nullum excogitare tormentum potuisse majus, *Igne. Consideratio.*

Caupones & Zythepsas manifestum facere, quòd omnia mixta (ut de cœlo taceamus) ex aqua facta sint. *Lamentatio Satyrica.*

*Chymica* aurum promittentia, & horum fautores, esse ad *ornatum Universi* sive promissis stent, sive non stent, semper ornabunt universum. Ex auro producto coruscabunt scyphi, crateres, torques; ex producendo cymbala, nolæ rostra. *Eutrapelia.*

P. *Tunc se homines ostendunt Dei sobolem cùm dignum Poëtæ nomine Carmen emittunt.* Socrates apud Plat. in Ione. *Phantasma.*

Omnem tyrannum *aliquando* mitem fuisse. *semel* saltem risisse; *bis* ignovisse.

*Commendatio allij.* Allium namq; esse cibum virorum fortium, ciborum condimentum, stomachi fomentum, robusti corporis alimentum, sanitatis incrementum, delicatarum narium tormentum, pilosarum & bella spirantium irritamentum, Martiæ virtutis nutrimentum, Ægypti ornamentum, adversus pestem medicamentum, castitatis firmamentum. & verò juxta hunc fructum *candentia lilia* copiosiùs crescere.

Desperationis tantus *Durus*.

Contrarius virtutis coronatæ Cantus *Mollis*.

*Medius*, Patientiæ lætæ. *Chorus Lyricus*.

*Similem simili gaudere*, aut proverbium hoc falsum, aut multos senes pueris similes esse.

Omnium censuras anxiè timere, esse quoddam superstitionis genus. *Ode.*

Pauperes comitari contemptum, divites concupiscentiam, felices invidiam. sapiens autem malit invideri. *Sat.*

Supra se multos ascendisse legimus: in se descendisse paucos. *Sat.*

*Duos polos*, intra quos gyratur Cardo vitæ Stoicæ, esse nimirum hos: *scire contemnere, & posse contemptum pati. Ode.*

Quosdam homines apud purpuratos nutriri, sicut aves in cavea. *Ode. Sat.*

P. Sitis an fames Poëtas exstimulet fortiùs ad ardua: fames auri, an sitis honoris.

P. Corollarium Lib. VI. Silvarum Lyricarum; *Chorea Simiarum*, in theatro exhibita, repræsentans Epitaphia Pygmæorum, in Europa celebrium.

P. Aurea, an laurea Corona nobilior. *Ode.*

Quæ stellæ Astrologis Genethliacis dominentur. *Ode.*

*Moria* & *Mania* ludus in mundo, Bacchanalia celebrante. *Sat.*

P. An satyrici Poëtæ, justo temperamento utentes, præ cæteris honorandi sint.

Supra Phalaridis taurum tormenti genus esse: æmulis ad tristia servatis, invidendum alienæ felicitatis statum, continuò ante oculos ponere. *Ode. Sat.*

Qui somniantes imperant, vigilantes serviunt. Gnome. *Ode.*

P. Totam rerum naturam ex contrarijs constare, & formosam reddi. Meritò ergo Poësin, pleramque vim suam & vigorem ex eius imitatione sumpsisse. *Demonstratio.*

Somnolentos, esse vitæ suæ quodammodo vespillones, *Sat. Ode.*

Utrum tolerandæ sint eiusmodi Gnomæ:

mæ: v. g. *Prima*: Nullam censuram esse strictioris iuris, quàm suspensionem. *Secunda*: omnes creatarum rerum syllabas, in unum collectas, non facere nisi *unum verbum*.

Quorundam Poëtarum *phlebotomia* infelix, & ominosa Mense Aprili. Inquiruntur causæ & discutiuntur. P.

Voluptatem veram non fieri, sed esse. *Ode*.

Scenam frontis humanæ, præ omnibus Italorum Theatris atque Comœdijs variari posse: intra horam centies, nedum *novies*. Verè itaque cecinisse Vatem: *Frontis nulla fides*. *Sat*.

An Stoicismum sapiat, dicere: *Extinctam Conjugem viro non magis deplorandam esse, quàm puero ablatum passerem*. Dixisse tamen unum ascetam. *Disquisit*.

Orgia *Ethnicorum*, & Genialia sacra *Lutheranorum*, in quo differant. *Inquisitio*.

Illum enimverò miserrimè perire, qui laboriosè perit. *Ode*. *Sat*.

Solos Divites, stupidos simul & rudes, Sileni alumnum auro instratum, pauperi Pegaso præferre.

*Contra torrentem niti*, esse laudabile. Paradoxum.

Novum amicum musto: veterem defæcato vino sapienter comparari. *Ode*.

*Antipathiam*, miserum & ferox animal esse. *Ode.*

P. Quomodo multæ Puellæ superbiunt emptis crinibus, dentibus, pigmentis: ita non paucos Poëtastros in famam exsultare, gloriantes emptis versibus, fucatis Comœdijs, subornatis plausibus. *Sat.*

P. Poëtam sine ingenio, esse lampadem sine oleo. *Ode.*

An quidam, aulicorum vitam, bene comparaverit *sudantibus in balneo. Sat. Ode.*

Arenam Vett. Romanorum, in qua ludi exercebantur, lascivientis sævitiæ stabulum fuisse. *Ode.*

*An decem ætatis gradus*, usque ad centesimum annum rectè designati sint. *Disquisitio.*

Omnem scientiam, quò nobilior est, minùs mechanicam, minúsque lucrosam esse. adversus harum contemptores. *Satyra.*

Metamorphoses sacræ. Liber unus.

P. * *Castrum Ignorantiæ* à Poëtis obsessum, expugnatum, eversum.

BENE-

# BENEVOLO LECTORI.

HActenus iſta : ut tandem modum ſtatuamus. *L. Tablerus Ruffus*, viſo hoc apparatu rerum ſcribendarum, ceſſabit nobis obtrudere ſuæ mentis illapſus,& oracula. Quoties acceſſeram fœcundi ingenij Virum, dum colloquebamur; ad me : Quid ſi hoc ſcriberes? quid ſi hoc caneres? Quid ſi iſtud? reſpui. jam intelliget; non eſſe opus mihi alienis ſcintillis: quando adhuc ardet luculentus domi focus. Tu verò, Amice Lector, quiſquis hunc Catalogum evolves; ſi non probas omnia; ſaltem nec omnibus infigas unguem, precor. eſto; pleraque Satyricum aroma ſpirent. atqui hoc condimento multi impenſiùs delectantur. pluſcula quoque reperies declaratura naturam moréſque Poëtarum inſperſa. id, quod maximè intendimus. Atque hæc profana, paucis exceptis. Sacra Argumenta, dulcíque pietatis rore madentia, ſimiliter annotare, ſi cupiditas aliquorum exigat, non erit laboris immenſi. Neque putes unicum Thema, &

quidem postremum, in campum productum fuisse, eo fine, ut, cæteris in massa relictis, hoc ipso credulitas simplicium ludificata, naso suspenderetur. Nullum è cunctis est, quod non æquè in apertum æthera emicare possit vita comite. alia prosâ, alia versu, aut chromatum genere mixto. Considera Titulos Odarum in Lyricis nostris. sanè & hæ aliquando in nocte sua consepultæ jacebant: donec Testudinis sono, quemadmodum Orpheus Eurydicen suam ab Umbris reduxit, ego ad Superos extraherem. Expende, inquam, potiores memorabo.

Regij sanguinis olitor.

Exemplo Christophori Columbi, se novum immensæ vastitatis Oceanum perlustrâsse. *Cœlum liquidum.*

*Equus Trojanus.* Germaniam suis cupiditatibus perire.

*Samson resipiscens*, ad Viduum, de statu vitæ deliberantem.

*Circulus Platonis*: Humana Mens.

Ad senem; ut prompto animo mortem admittat.

Quædam sapienter tacenda; fortiter esse dissimulanda.

In funere N. consolatio Stoica.

*Milo Crotoniates senex*, humanæ imbecillitatis Monitor.

Excla-

Exclamatio in funere Divitis, cum sepeliretur.

De moribus & natura Sapientis.

*Vrna Minois*: sive justum judicium.

*Pecunia serpens.*

*Lyra Pythagoræ*: sive Animus temperatis affectibus concors.

*Choreæ mortuales.*

Irrisio Genethliacorum.

De more ungendorum cadaverum.

*Symbola Pythagoræ.*

Ex lusu *Scacchi*, quid discamus.

Cynico-Stoicorum secta qualis.

*Dies Alcionij*: sive læta vita.

Iuvenem se scribendis Satyris operam dedisse.

Humanæ vitæ laboriosa navigatio.

*Vtopia*: sive somnium de felicitate Mundi.

Fastidire se, quæ vulgus appetit.

Illusio Poëtica.

*Monarchia, Triplex suspirium:*

Obtinendi, Retinendi, Amittendi.

*Regis & Tyranni discrimen*, in exemplo Apiarij declaratum.

Omniparentis Naturæ justa querela, adversus ingratos Mortales.

*Pugio Trajani*: sive Orator Politicus.

Præcepta vivendi Stoica.

Athei hujus seculi, sub larva nominis Politici latentes.

*Clas-*

*Classicum in Turcas.*

Nemesis sancta: sive modus vindicandi se Christianus.

Aulas Principum, esse scholam Patientiæ.

Corona Regia, *Tegumentum humanæ miseriæ.*

*Testudo nuptialis*: exemplar optimæ Conjugis.

Ataxia nostri seculi.

---

Hæc è Lyricis nostris excerpta. excute jam, si vis, folia silvarum. non dissimilia, ritu Sibyllino, invenies inscripta.

Germania corrupta.

Adulatoris vera effigies penicillo Poëtico ducta.

Solatium deformis.

*Mysterium Delphicum*: Poëtas non mentiri.

De usu fabularum.

*Eutrapelia Othomannici Imperij.*

*Symphonia*: Modus temperandi Lyram Horatianam.

De dispari tyrannide Cl. Neronis & Iuliani Apostatæ. *ad Macilentos.*

F. Petrarcha Paranymphus, *ad futurum Sponsum.*

*Musæ Cingaræ.*

Melancholia.

De

De risu Democriti.

Democritus Christianus.

Cuique suum: Quisque suos: Quisque sibi.

*Amuletum Invidiæ.*

Physiognomia fallax.

Placita Monacensis Stoæ.

Suspiria ante Tabulam Cosmographicam.

*Pharetra pseudo-politicorum.*

*Annulus Gygis.*

Meum ac Tuum, frigidum illud verbum.

Holocausti odor suavissimus, quis?

De Vaticinijs Poëtarum.

Ignes festivi Pacificatoribus Monasterij, in Westphalia, excitati.

*Cygnus Lauretanus.*

His adjice alia nonnulla, quæ & ipsa in ovo quondam implumia, tandem processu temporis convestita scriptoris pennâ, quemadmodum Calais & Zethes pueri Aquilone ex Orythyia creati, nido relicto, evolârunt in auras. Ut

Satyra contra abusum Tabaci.

Torvitatis Encomium.

Antagathyrsus: sive Apologia pinguium adversus macilentos.

Solatium Podagricorum.

Eclipsis Anni 1654.

Deni-

Denique & hæc ipsa *Expeditio Poëtica*: primò nihil olim, nisi simplex cogitatio, nudi inquam & rudes mentis conceptus fuerunt: donec, obstetricantibus Musis, fierent ingenij partus & opera. Nihil ad summum primo impetu perducitur. Sensim crescunt & maturantur omnia, non otioso aspectu struthionis, sed incubatione fœcundi laboris. id quod Plantinianum sive Lipsianum symbolum indicat: *Labore & Constantia.*



# Menda emendata.

Fol.5. v.1. amabit. l. armabit.
Fol. 38. v.27. Servitate. l. ſervitute.
Fol. 79. v. 18. annulatu. l. annulatus.
Fol. 103. v 24. triſtiſſimè l. tutiſſimè.
Fol. 107. v. 22. reduces. l. reducem.

